TRACTATUS
DE SACRA SCRIPTURA
DE DIVINA TRADITIONE
ET
DE CONCILIIS
HABITIS IN ECCLESIA CATHOLICA

AUCTORE DEFUNCTO
D. NICOLAO TAMBURINI
Archidiacono Aprutino
SACRAE THEOLOGIAE DOCTORE
Ejusdemque facultatis
IN SEMINANARIO DIOECESANO
PROFESSORE
ATQUE APRUTINAE DIOECESIS
VICARIO GENERALI

TERAMI
Ex Tip. Angeletti
1840

AD
JUVENEM
IN SORTEM DOMINI
VOCATUM

Omne id quod in Verbo Dei continetur, et ab Ecclesia Fidelibus omnibus de Fide credendum proponitur nemo potest in dubium revocare, quin haereticali labe polluatur. Duo igitur requiruntur, ut aliqua veritas sit Fidei articulus, scilicet ut sit a Deo revelata, et ab Ecclesia definita; quod nunquam evenire poterit, quin primum reperiatur; quia ex Dominica promissione, Spiritu Sancto semper assistente, Ecclesia nequit docere aliquid esse de fide, quod non sit revelatum; ideoque si constet, Ecclesiam fuisse locutam, nunquam est malignandum, sed ejus definitioni acquiescendum.

Ex dictis, quis est, qui non videat, de fide non esse ea omnia, quae novimus ex revelationibus factis post tempora Apostolorum, sicuti neque miracula, etsi ab Augustino vel alio Patre relata sint, neque ipsa miracula, quae in Bullis Summorum Pontificum in Canonizatione Sanctorum continentur? haec merentur tantum fidem humanam plus minusve juxta majores, vel minores rationes, quibus roborantur, et hoc quia non e.uuntur ex verbo Dei. Ita de fide non sunt

opiniones, et quaestiones, quae a Theologis, silente Ecclesia, agitantur in Scholis, etsi spectent ad Religionem, uni potius quam alteri quisque, salva fide, poterit assentiri juxta rationes, quibus fulciuntur.

Item etiam in Conciliis generalibus de fide non sunt, quae post Capita et ante Canones dicta sunt vel ad comprobandam doctrinam Catholicam, vel ad refellenda sophismata haereticorum, sed tantum, quae continentur in capitibus, et in Canonibus, quia in his tantum habetur definitio Ecclesiae, cui stricte adhaerendum est in decernendo an sit aliquid de Fide, vel non. Ex dictis clare patet, quanti sit, Virum Theologum, qui est Magister in Israel, scire quid sit hoc Verbum Dei, et in quo contineatur; continetur enim non solum in sacris litteris, verum etiam in divina Traditione; quid sit Ecclesia, et quando haec infallibiliter doceat.

Pro bono Juvenum Theologicarum facultatum auditorum has exaravi brevi calamo locubrationes. Benigno animo accipe Opus, quodcumque sit, benevole Lector.

Vale.

DE

SACRA SCRIPTURA

PRÆFATIO

Impar erat homo, praesertim post Adae peccatum, ad sua exequenda officia erga DEUM*, erga proximum, erga seipsum. Ut eum edoceret, misericors, et miserator Dominus misit ei Epistolam, sacras scilicet ei dedit Scripturas.*

» *De illa Civitate, a qua peregrinamur, hae literae nobis venerunt. Ipsae sunt Scripturae, quae nos hortantur, ut bene vivamus* » *ajebat August. conc. 2. in psal. 90. et Greg. M. epist. 84* » *Quid est aliud Sancta Scriptura, nisi quaedam epistola omnipotentis Dei ad suam creaturam?* » *Nemo igitur illam ardenter legere negligat, sed praesertim Minister Sanctuarii qui est Magister in Israel.*

» *Omnis enim Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justi-*

tia , ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus » Paul. 2.° ad Timoth. c. 3. ver. 16. Ne recedat ergo volumen hoc de ore tuo , benevole Lector .

Diurna , nocturnaque manu illud versa ; sic illuminatus cum sis a montibus aeternis , erunt tenebrae tuae sicut meridies ; erit verbum Dei lucerna pedibus tuis ad dirigendum te, et alios in viam pacis , in scientiam salutis , sicque instructus docebis iniquos viam Domini ; et impii ad eum convertentur.

Ut autem legendo , utiliter , et fructuose legas hanc brevem Sacrae Scripturae Synopsim a SS. Patribus haustam exaravi . Sequere regulas in ea praescriptas , et bene tibi erit.

Vale.

TRACTATUS

Sacrae Scripturae Synopsis

CAPUT I. §. I.

De Sacra Scriptura

Q. 1.° Quid est Scriptura Sacra?

R. Est Verbum Dei scriptum, hominibus resignatum ad docendos eos Jesum Christum Redemptorem humani generis, ut ipsi ex servitute peccati, mortis, ac diaboli liberati, in eumdem Christum credant, et credentes consequantur vitam aeternam.

Q. 2.° Quomodo dividitur Sacra Scriptura?

R. Scriptura, hoc est verbum Dei scriptum, dividitur in Vetus et Novum Testamentum.

Q. 3.° Quot sunt Libri Scripturarum spectantes ad Legem veterem, seu Mosaycam, seu vetus Testamentum?

R. Plures sunt, scilicet 45., et dividuntur in quatuor classes, videlicet I.° in *Legales*, in quibus promulgantur divinae leges, et sunt quinque libri Moysis, seu Pentateuchus, nempe *Genesis*, *Exodus*, *Leviticus*, *Numeri*, *Deuteronomium* - 2.° *Historiales*, idest libri, per quos rerum gestarum historia narratur; suntque 17. scilicet *Josue*, *Judicum*, *Ruth*, *Regum lib. 4. Paralipomenon lib. 2. Machabaeorum lib. 2. Job. Esdrae lib. 2. Tobiae*, *Judith*,

Esther 3. *Sapientiales*, et ita vocantur, quia in iis vera exponitur sapientia, et sunt quinque; videlicet, Proverbia, Ecclesiastes, Cantica, Ecclesiasticus, Sapientia. 4. *Prophetales*, ita dicti, quia in iis futura pronuntiantur, suntque duo de viginti, nempe Psalmi David n.° 150. quatuor majores Prophetae, *videlicet* Isaias, Hyeremias, Ezechiel, Daniel; et duodecim minores, Osee, Joel, Amos, Micheas, Abdias, Jonas, Nahum, Abacuch, Sophonias, Aggaeus, Zacharias, Malachias, qui omnes in unum efformant libros n.° 45.

Q. 4.° Quot sunt libri Novi Testamenti, et ad legem Christianam spectantes?

R. Sunt 27. qui pariter dividuntur in quatuor classes, nempe quatuor libri Evangeliorum, Matthei, Marci, Lucae, Joannis, Legalibus libris Moysis correspondentes. Acta Apostolorum, quae Historialibus: Epistolae Divi Pauli quatuordecim, una D. Jocobi, duae D. Petri, tres D. Joannis, et una Judae Thaddei, et libris acquiparantur Sapientialibus. Apocalypsis Joannis, quae connumeratur inter Prophetarum libros. Ex dictis igitur patet, Sacram Scripturam tam veteris, quam novi Testamenti constare libris septuaginta duobus.

Q. 5.° Quare vocantur libri novi Testamenti?

R. Propter novitatem spiritus, quam affert lex Christiana in iis contenta, quae novos affectus, novosque ardores ergà Deum excitare solet in omnibus, qui illam intelligunt, et pio nec non sincero corde amplectuntur.

Q. 6.° In quo idiomate scripta fuere quatuor Evangelia?

R. Disces ex subsequentibus versibus, scilicet:
Matthaeus Christi Haebreis miracula scripsit;
Ausonibus Marcus; Lucas at doctus Achivis,
Cunctis Joannes penetrans coelestia mente.

Q. 7.° Quare recollectio istorum librorum vocetur Testamentum Vetus, et novum?

R. Duplici ratione 1.° quia quemadmodum Testamentum est charta scripta, in qua declaratur ultima voluntas hominis, sic in illis libris continetur ultima voluntas Dei, et Lex, quam Deus vult ab hominibus servari — 2.° Quia sicuti per Testamentum bonorum defertur haereditas, intercedente morte Testatoris, qua contingente, cum esset antea clausum, et obsignatum, aperitur: sic per libros sacros defertur nobis haereditas coelestis, et Christi morte in ea confirmamur, iisque libris apertis legimus, nos esse Dei haeredes ac cohaeredes Christi si cum illo sustineamus.

§. II.

De divinitate Scripturarum

Q. 1.° Quomodo cognoscimus libros istos esse a Spiritu Sancto?

R. Per testimonium Ecclesiae, quae continuata successione ab initio usque ad haec tempora illos tales recepit. Non enim id aliunde nobis certo constare potest, quam ex Ecclesiae judicio, quae est, quaeque a Patribus semper habita fuit tamquam fundamentum veritatis infallibile: unde Augustinus cont. epist. fund. cap. 5. ajebat - *Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiae commoveret auctoritas.*

Q. 2.° Inter tot, tantasque versiones Sacrarum Scripturarum, quaenam pro authentica, et divina sit habenda?

R. Sola Vulgata latina hodie est authentica, ac per consequens regula nostrae Fidei. Ecclesia in Conc. Trid. congregata sess. 4 can. 2 de ea ait. Ut pro authentica habeatur, et ut nemo illam quovis praetextu, reicere audeat, vel praesumat. -

§ III.

De authenticitate Scripturarum

Q. 1.° Septuaginta duo libri, qui continentur in Sacra Scriptura tam veteris, quam novi Testamenti fuerunt nec ne semper omnes habiti ut authentici, et divini?

R. Semper fuerunt divini, sed non omnes uti tales semper habiti fuere. Inter libros Scripturarum, qui nunc *juxta decretum* Trid. sess. 4. de Scripturis Canonicis, nonnulli dicuntur Protocanonici, alii Deuterocanonici. Protocanonici dicuntur illi, qui pro Divinis semper, et sine ulla controversia fuerunt recepti. Deuterocanonici e contra illi dicuntur, qui etsi hodie ex supra laudato Decreto Tridentini in canone adnumerentur, de his olim dubitatum fuit. Relate ad libros veteris Testamenti connumerantur inter Deuterocanonicos libri Tobiae, Judith, Sapientiae, Ecclesiasticus, et Machabeorum; relate ad Testamentum Novum Lutherani a canone impie expungere conantur epistolam Divi Pauli ad Haebreos, epistolam I.am Jacobi, epistolam Judae Thaddaei, et Joannis Apocalypsim. Apocryphi dicuntur hi libri,

qui nunquam habiti sunt tamquam divini, et nec nunc uti tales habentur, ac per consequens non sunt in canone Ecclesiae relati; sunt *tertius*, et *quartus Esdrae*, pariter *tertius*, et *quartus* Machabaeorum.

Q. 2° Quid continent isti libri?

R. Omnia, quae in illis continentur, vel de ipso Christo sunt, vel propter ipsum, et sic a lectione veteris Testamenti ad lectionem novi proceditur tamquam a figura ad suum figuratum, a signo ad signatum, ab exemplari ad exemplatum, et a parabola ad suam veritatem. Nam lex per Moysen data est, gratia, et veritas per Jesum Christum facta est. Joan. I.°- Primi quidem de Christi adventu in carne passibili ad patiendum pro redemptione hominum. Secundi de ejusdem adventu in statu impassibili, et glorioso ad judicandum homines loquuntur; Et sic Christus objectum est in quod collineant omnes Scripturae.

§ IV.

De sensu Scripturarum.

Q. 1.° Quotuplex est sensus sacrae Scripturae?

R. Quatruplex I.° *Litteralis*, quo intelliguntur singula verba, et periodi, ac quid immediate significent juxta praecepta Grammaticorum. 2. *Moralis* sive *tropologicus*, quo verba ipsa, ac sententiae Scripturarum referuntur ad aedificandam charitatem Dei, et proximi, ac bene operandum. 3.° *Anagogicus* quo sensus refertur ad spem firmandam aeternorum bonorum. 4.° *Allegoricus*, quo verba et sententiae referun-

tur ad significanda Mysteria Christi et Ecclesiae, et hic est primarius, et palmaris, quatenus Christum, et Ecclesiam designat, quia Christus est finis Scripturarum; itaut Lector scripturae sollicitus esse debet de eo quaerendo, juxta illud Cant. 3.° *Per vicos, et plateas quaeram, quem diligit anima mea.* Per vicos (idest) per libros Veteris Testamenti, ac per plateas (idest) per libros novi testamenti, in quibus sine difficultate invenitur, et deprehenditur.

Hi diversi sensus sacrarum Scripturarum in hisce duobus versiculis continentur nempe.

Litera gesta docet, quid credas Allegoria.
Moralis quid agas, quid speres Anagogia.

Sensus igitur litteralis (in quo eminet Divus Hieronymus) res accipit, prout verba ipsa sonant.

Sensus allegoricus (in quo versatur S. Ambrosius) ostendit nobis quid sit credendum, quia tendit circa credibilia.

Dicitur *Allegoricus* a nomine graeco *Allon*, quod est alienum, et a *logos*, quod est sermo, quasi sit alienus sermo ab eo, quod voces sonant.

Sensus Tropologicus, seu Moralis (in quo felicissimus fuit D. Gregorius) ostendit, quid agendum, quia tendit ad mores dirigendos. Dicitur *Tropologicus* a nomine graeco *Tropos*, quod est conversio, et a *logos*, quod est sermo, quasi sit sermo conversus ad animae aedificationem, et morum informationem.

Sensus vero *Anagogicus* (in quo mirabilis est S. Augustinus) ostendit quid sit sperandum, quia tendit circa speranda in aeterna beatitudine. Dicitur *Anagogicus* a nomine graeco *ana*

quod est sursum, et *goge* quod est ductio, quasi quod sit sursum ductio, seu locutio de terrenis, quibus significantur coelestia.

Ex sequentibus versibus quisque dignoscere poterit auctores consulendos in addiscendis his diversis sensibus Sacrarum Scripturarum.

Historiam Haebreis e Graecis fontibus haustam,
Hieronymo disces, duce:
Allegorias, Anagogiasque recludent
Origenes, et Ambrosius:
Exponent sensus formandis moribus aptos
Chrysostomus, et Gregorius:
In dubiis altaque locis caligine mersis
Aurelius lucem feret.
At brevis,et facilis nunquam spernendaTyr oni
Lyrinensis expositio:

In vocabulo *Jerusalem* hi quatuor diversi sensus, quos sacra complectitur Scriptura, mirabiliter continentur. Acceptum enim vocabulum *Jerusalem* in sensu literali, significat Civitatem Judae; in Allegorico, sanctam Ecclesiam militantem a nobis credendam, Apoc. I.° in Tropologico, significat animam sanctis operibus ornatam; in Anagogico, Ecclesiam Triumphantem a nobis sperandam.

Similiter dum dicitur in Genesis c. 1.° *fiat lux*; literaliter, lucem significat corporalem, quae initio mundi a Deo producta fuit. *Allegorice* designat Christum qui est lux illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum. *Tropologice*, denotat gratiam Spiritus Sancti, qui est lumen cordium. *Anagogice* lumen gloriae eternae, de quo dicitur lux perpetua luceat eis.

§ V.

Quomodo in Scripturis locutus sit Deus.

Q. 1.° Deus dictavit omnia, et singula verba Sacrae Scripturae, ac praestitit tantummodo suam assistentiam, ne sacri scriptores aliquid scriberent vel falsum, vel indecorum, vel reprehensibile?

R. Dicant quidquid alii velint, ego pro certo habeo omnia, non solum res, et sententias, sed singula divinae Scripturae verba usque ad minimos apices fuisse a Spiritu Sancto dictata. Id nobis insinuant Sacrae litterae, Patrum testimonia contestantur, Theologica ratio confirmat. Sacrae litterae Scripturae insinuant per illas locutiones, quae passim in Prophetis leguntur: *Haec dicit Dominus. Factus est sermo Dei ad me dicens: Factum est verbum Dei ad me dicens - Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti homines* - Petrus ep. 2. c. 1 v. 21 - Omnis Scriptura divinitus inspirata - S. Paul. 2. ad Thim. cap. 3. v. 16 - Patrum testimonia contestantur. Chyrsostomus homilia XXII. in Genesim ait - Nihil hic scriptum est, quod non multas sensuum habeat divitias, quandoquidem divino Spiritu afflati Prophetae locuti sunt, neque vel syllaba, vel apiculus est in sacris litteris, in cujus profundo non sit grandis thesaurus.

Hieronymus in cap. 6. Matth. et in cap. 3. ad Ephesios sic loquitur - Singuli sermones, syllabae, apices, puncta in divinis Scripturis

plena sunt sensibus - Idem in epistola ad Paulinum ait - *Sola apocalypsis Joannis tot habet Sacramenta, quot verba.*

Augustinus epistola 14 asserit, se nullius hominis libris tantum deferre, quantum divinis litteris, non ob veritatem, quae par est in utrisque, sed ob verba, phrasimque dictantis, qui est Spiritus Sanctus.

Tandem ne longior sim, quam par est, Sanctus Gregorius in praefatione libri in Job sic se relate ad sacras scripturas explicat - Ipse hæc scripsit, qui hæc scribendo dictavit - Theologica ratio confirmat, nam si singula Divinæ Scripturæ verba non essent a Spiritu Sancto dictata, immerito sacra scriptura diceretur verbum Dei, nec ulla intercederet differentia inter divinam scripturam, et Ecclesiæ definitiones, quæ fiunt etiam Spiritu Sancto assistente, uti constat ex illo celebri Apostolici Concilii decreto Actorum cap. 15. v. 28. *Visum est Spiritui Sancto et nobis* - Sed id nemo dixit unquam; ergo dicendum omnia non solum res, et sententias, sed et singula divinæ Scripturae verba usque ad minimos apices fuisse a Spiritu Sancto dictata uti clare insinuatur per ipsas Scripturas; contestatur a SS. Patribus, et ipsa Theologica ratio confirmat.

§ VI.

De obscuritate S. Scripturae, et de regulis quibus est legenda.

Q. 1.° Sacra Scriptura est nec ne ita facilis intellectui, ut quisque per se, absque ullo

alio adjumento, valeat genuinum ejus sensum intelligere, et proficere?

R. Ne Verbi Dei majestas vilesceret, ad domandam humani intellectus superbiam, voluit Deus, scripturam suam obscuram interdum, et difficilem esse. Unde Augustinus lib. 2. de doctrina Christiana cap. 6. ajebat. *Ad edomandam labore superbiam, et intellectum a fastidio revocandum, cui facile investigata vilescant.*

Quare qui cupit ejus genuinum sensum intelligere, et proficere, et quodcumque removere errandi periculum, observet regulas, quæ hic adnotantur.

1. Regula *Est collatio Scripturae cum Fide, et bonis moribus.* Unde si verba Scripturarum dissonant cum fide vel bonis moribus, tunc non ad literam, sed figurate accipienda sunt. Audi Augustinum lib. 3. de doctr. Christiana cap. 10. dicentem - Quidquid in sermone divino, neque ad morum honestatem, neque ad fidei veritatem proprie referri potest, figurate esse cognoscas. Uti quando Christus in scripturis dicitur *Leo*, *Agnus*, *Vitis*, *Petra*, *Ostium*, verba non literaliter, sed metaphorice accipienda sunt: idemque est faciendum quando Matthei cap. 18. v. 8. legitur - Si manus tua scandalizat te, abscinde eam, et proice abs te... Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, et proice abs te.

2. *Est collatio Scripturae cum loco, tempore, et scopo personae scribentis.* Hæc regula est S. Hieronynimi dicentis lib. 2. In Ieremiam cap. 8. Personarum mutatio, et maxime

in Prophetis, difficilem intellectum facit, quae si in suis locis, et causis, temporibus que reddantur, plana fient, quæ videbantur obscura. Sit exemplum. Ieremias cap. 1. v. 14 ait - *Ab Aquilone pandetur omne malum.* Nisi qui legit advertat, Prophetam prophetare in Iudea cujus respectu Babylon aquilonaris erat, poterit de errore accusare Prophetam.

3. *Collatio Scripturae cum Scriptura*; nam sæpe sæpius contigit, ut id quod obscure reperitur in uno textu, clare et expressius reperiatur in alio, juxta illud Augustini lib. 2. doct. Christiana cap. 6 - Nihil fere de obscuritatibus Scripturæ eruitur, quod non alibi plenissime dictum reperiatur - Sic obscure expressa duratio regni Antichristi apud Danielem Cap. 2. v. 25. ubi legitur - Regnaturus per tempus, et tempora, et dimidium temporis. Clara, et aperta insinuatur a Joanne Apocalypsis Cap. II. v. 2 et 3; ubi praedicitur, Civitatem sanctam calcari ab illo homine peccati *mensibus* quadraginta duobus .... et duos testes Henohc videlicet, et Eliam Prophetare diebus mille ducentis sexaginta, id est per tres annos cum dimidio.

4.° *Est collatio Scripturae cum Sanctorum Patrum sententia.* Ad hanc respicit Ecclesia, et hac suis in definitionibus usa est, uti constat ex illo toties conclamato in Conciliis - Haec est fides Patrum -

5.° *Est collatio Scripturae cum Ecclesiae judicio.* Regula est omnium tutissima, cum Ecclesia sit infallibilis, nec non firmamentum, et columna veritatis. Unde merito a Tridentino

sess. 4. decretum fuit - nemini suae innixo prudentiae licitum esse interpretari Scripturam, et ad suos sensus contorquere *contra eum sensum, quem tenuit, et tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, et interpretatione Scripturarum Sanctarum* -

Q. 2.° An pro intelligentia Sacrarum Scripturarum hae regulae sufficiant?

R. Sunt certo valde utiles et usu comprobatae omnium eruditorum, at evadent prorsus inutiles, nisi ipsis istae accedant dispositiones, nempe *Fides*, *humilitas*, *conscientiae puritas*, *oratio*, *et assidua lectio*. *Fides*, *quia nisi credideris*, *non intelligitis* - inquit ipsa Veritas Isaiae cap. 7. v. 9.

Humilitas, *quia Deus superbis restitit*, *humilibus autem dat gratiam* = Jer. c. 4. v. 5. et Proverb. c. II. v. 2. legitur - *Ubi humilitas*, *ibi sapientia* - *Conscientiae* puritas, quia uti habetur - Sap. c. 5. v. 4. *In malevolam animam non introibit sapientia nec habitabit in corpore subdito peccatis*. *Oratio*, quia non tam a libris, quam a Deo Patre luminum petenda scientia est, unde David Deum precabatur psal. CXVIII. v. 18. et 54. *Revela oculos meos*, *et considerabo mirabilia de lege tua*.. *Da mihi intellectum*, *et scrutabor legem tuam* - Denique assidua lectio. Hanc commendat ipse Christus dicens, *scrutamini Scripturas* - Josue cap. I.° v. 8. et ipse Spiritus Sanctus commendat dicens: *Non recedat volumen legis hujus ab hore tuo*, *sed meditaberis in eo diebus ac noctibus*.

Idem commendat Paulus suo Thimoteo. Commendat omnes Patres Ecclesiee. Commendo et ego vobis ut possitis intelligere eloquia Dei, et ex hoc ineffabili Thesauro haurire scientiam Sanctorum, scientiam salutis vestrae non solum sed et Proximorum, quorum aeterna salus vobis, tanquam Ministris Jesu Christi a Deo commissa fuit.

§. VII.

De Testamento novo

Q. 1.° Quare historia Jesu Christi vitae Evangelium nuncupatur?

R. Quia Evangelium bonum et laetum nuncium significat, quale est Sacra Historia, quae Jesum Christum Salvatorem exhibet, per quem a peccato liberantur homines, et aperto Coelorum ostio, quod antea per Adae noxam clausum erat, ad gaudia aeterna introducuntur; quo enim nuncio quid jucundius.?

Q. 2.° Quare Evangelistae denotantur per figuras Hominis, Leonis, Bovis, et Aquilae.

R. Quia *Matthaeus* exorditur ab humanitate Christi, ideo sub hominis figura raepraesentatur. *Marcus* exorditur a praedicatione Joannis Baptistae in deserto, quem uti Leonem rugientem ac peccatores terrentem exhibet, Leo illi assignatur. *Lucas* vero initium duxit sui Evangelii a Sacrificio Zachariae Sacerdotis, unde habet pro insigno Bovem, animal sacrificio destinatum. At Divus *Joannis* longe altius super ceateros se efferens caepit a Divinitate dicens.

In principio etc. quapropter per Aquilam designatur.

Q. 3.° Quare Cantica dicitur Canticum Canticorum?

R. Hunc librum Salomonis ita vocari, quia ibi canit Epitalamium idest carmen nuptiale ob conjunctionem spiritualem Christi cum Ecclesia et dicitur Cantica Canticorum phrasi haebraica ad demonstrandum esse Canticum excellentissimum inter omnia Cantica, sicuti dicimus Rex Regum, solemnitas Solemnitatum.

MONITUM

Sacra Scriptura est Verbum Dei: Deus est Ens a se ideoque ipsa infinita, et essentialis Perfectio, omnes complectens possibiles perfectiones, et a se omnem quamcumque excludens etsi minimam imperfectionem, quia aliter Deus non esset.

Est solius Athaei haec in dubium revocare, aut illius, qui more ethnicorum non adaequatam sibi efformavit ideam Dei.

Quum ita sit, quis est, qui non videat, Verbum, quod a Deo procedit, scilicet Sacram Scripturam, nullum posse in se continere, quod contradictionem implicet, quod sit falsum, quod sit ineptum, indecorum, vanum, inutile, et oppositum naturae cujuscumque Entis, sive sit contingens, sive sit necessarium; quia cum sint imperfectiones, defectus redundaret in ipsum

Deum, Deum deleret; nam non amplius esset Ens perfectissimum.

Attamen hisce non obstantibus, non desunt, qui tamquam muta animantia non intelligentes, spumantes confusiones suas de die in diem, sacrilego ore audent diffundere in populum, Sacram Scripturam contradictionibus mendaciisque esse refertam.

Miseri! verterunt lucem in tenebris, et quod ipsis datum miscricor diter fuerat ad salutem sibimetipsis fecerunt petram offensionis.

Non sit ita de nobis, sed prae oculis semper habentis multiplices Scripturarum sensus, regulas observantes, et dispositiones habentes, de quibus supra egimus; diu, noctuque manu, mente, et corde versemur in sacris eloquis, et evanescent contradictiones, inutilia, falsa disperibunt, et apparebit, haec omnia non esse, nisi apparentia; quod magis magisque clarescet, si praesertim in amplexioribus difficultatibus consulerimus Patres, sacrosque Interpretes.

TRACTATUS
DE DIVINA TRADITIONE

PRÆFATIO

Teste Joanne, non omnia quae dixit, et fecit Christus, scripta sunt. Ipse Evangelista multa adjunxit in suo Evangelio, quae a tribus aliis Evangelistis praetermissa fuerunt, imo fatetur, se non omnia scripsisse (quae certe scitu necessaria, quia erant a Deo), sed tantum ea, per quae sufficienter probari posset, Christum esse Filium Dei. *Jo.c. 20. 21.*-

Christus post resurrectionem suam per quadraginta dies mansit cum Apostolis alloquens de Regno Dei ad informandam Ecclesiae fidem; quae ista fuerunt, nulla unquam nos edocuit Scriptura. Luc. Act. 1.°

Die Pentecostes, adveniente Spiritu Sancto, Apostoli multa non solum utilia, sed etiam valde necessaria edocti sunt, quae antea portare nequibant, juxta divinum eloquium Joan. c. 16 *et haec quae fuerint, etsi nullibi scripta reperiantur, eorum tamen notitia non latet Ecclesiam.*

Hae omnes veritates ad nos pervenerunt per divinam Traditionem, quam negant Novatores.

Est igitur praesertim sacri Ministri eam defendere contra haereticam pravitatem, ideoque hoc ego exaravi opusculum de divina Traditione in bonum Clericorum. Qualecumque illud sit, benigne accipe, studiose Lector.

DE TRADITIONE

CAPUT I.

De Traditionibus acturi, agemus de Traditionibus sacris, et non de prophanis, quibus solum illa fides humana debetur, quam ipsae merentur post rationabilem discussionem habitam juxta regulas sanae Criticae.

§ I.

Q. 1.° Quotuplicis generis sunt sacrae Traditiones.

R. Triplicis generis sunt Traditiones sacrae, scilicet *Divina*, *Apostolica*, *Ecclesiastica*. Divina est a Deo, et continet doctrinam supra facultatem hominis, et in Ecclesia Dei semper habitus est haereticus quicumque eam negavit, sunt autem hae Traditiones.

1.° Quod Beata Maria Deipara fuit semper, etiam port partum, virgo.

2.° Quod parvuli sint baptizandi, etiam ante rationis usum.

3.° Quod baptizati ab Haereticis non sint rebaptizandi.

4.° Quod ad baptismi valorem, haec sit adhibenda forma; *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.*

5.° Quod Paschatis festum sit die Dominico, post 14 Martii Lunam celebrandum.

6.° Quod detur et existat apud nos Scriptura vere divina, seu quae sit verum Dei verbum.

7.° Quod illa eadem, praesertim in iis quae sunt ad fidem et salutem necessariam, sit apud nos salva, et incorrupta.

8.° Quod verum ac legitimum illius habeamus sensum.

9.° Quod quatuor Evangelia San ctorum Matthaei, Marci, Lucae, Joannis sint scriptura vere divina; non vero quatuor alia, nomine Sanctorum Petri, Andreae Bartholomaei, et Thomae, ventilata.

10.° Quod e quatuor Esdrae libris, duo sint vere divini, alii vero duo apocryphi.

11.° Quod pariter è quatuor Machabaeorum libris, duo sint vere canonici et divini, alii duo è contra apocryphi.

12.° Quod Pauli Epistolae, ad Timotheum v. g. ad Titum, ad Philemonem sint vere canonicae, non vero ejusdem ad Senecam aliae.

13.° Quod ejusdem Pauli ad Ephesios Epistola sit vere canonica, et inter authenticas habenda; non è contra ejusdem ad Laodicenses alia.

14.° Septem esse Sacramenta novae legis, nec plura, nec pauciora.

= Apostolica ab Apostolis uti Ecclesiae Pastoribus post Ascensum Christi in Caelum data est ad informandam, quam Filius Dei sanguine suo fundaverat, et ad eam regendam Apostolis curam mandarat. Ad dignoscendum quaenam sit, Regulam praebet nobis Augusti-

stinus dicens -- Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum, nonnisi auctlioritate Apostolica traditum rectissime creditur et sunt.

1. Quadragesimae, et Quatuor Temporum institutio.

2. Observatio diei Dominicae, loco Sabbati.

3. Trina mersio, in baptismo olim servari solita.

4. Chrismatis renovatio, annis singulis facienda.

= Ecclesiastica data est ab Episcopis congregatis in Conciliis pro regimine Ecclesiae et bono spirituali Fidelium v. g.

1. De jejuniorum observantia certis anni diebus.

2. De Festorum celebratione, certis pariter anni diebus.

3. De benedictione et aspersione aquae.

4. De formando Crucis, in fronte, signo.

5. De abstinendo a servili opere die Dominica, Festisque diebus.

Hae duo scilicet Apostolica et Ecclesiastica possunt ab Ecclesia immutari et dispensari, nunquam vero prima, quia a Deo data est et non ab aequali.

§ II.

De divina Traditione.

Q. 1. Quid sit divina Traditio, et quamnam habet auctoritatem?

R. Traditio divina est Dei doctrina non scripta, sed a Deo immediate Majoribus reve-

lata, et a Majoribus, quasi de aure ad aurem ad posteros successive transmissa. Haec etiam aliquando dici solet *Apostolica divina*, quia cum Christum habeat auctorem, ministerio Apostolorum fuit Ecclesiae demandata, aut quia edocti Apostoli afflatu Spiritus Sancti aliquam veritatem, eam ipsi Fidelibus oretenus tradidere. Unde Paulus I. ad Corint. c. II. v. 23 ait.
= Ego accepi a Domino quod et tradidi vobis =

Traditio divina camdem habet auctoritatem ac ipsa Sacra Scriptura, nam Verbum Dei continetur in utraque; scriptum in una, oretenus traditum in altera, et nos credentes, quae in alterutra habentur, semper verum erit, nostram fidem resolvi in auctoritatem Dei revelantis.

Q. 2. Sit ita; sed reapse datur aut extat aliqua divina Traditio?

R. Vel maxime, et extitit tam in Lege Naturae quam in Lege scripta, et in Lege gratiae. In lege naturae aliqua semper fuit Ecclesia Dei, in qua fuere semper Dei cultores, quales fuerunt inter alios Adam, Abel, Seth, Enos, Enoc, Noe, deinde Abraham, Isaac, Jacob, Joseph ec.

Hos quisnam docuit modum colendi Deum, uti par erat. Quis docuit Mysteria credenda?

Principalia hujusmodi erant dogmata =

1. De mundo creato a Deo primo rerum omnium principio.

2. De futuro Messiae adventu.

3. De remedio pro originali tollendo peccato.

4. De Deo ut bonorum remuneratore, et malorum ultore.

5. De altera post praesentem, futura vita, etc.

Unde illi Patriarchae horum habuerunt notitiam?

Non certo ex Scriptura, quae nulla erat, ergo ex divina Traditione, quae illorum erat Fidei regula, quam fideliter secuti, Deo placebant, et eorum florebat Ecclesia.

Divina Traditio fuit in Lege scripta. Multa erant, quae Judaei de fide credebant, quin in lege essent exaratae. Credebant ut Fidei dogma, dari remedium aliquod pro originali peccato etiam pro faeminis, pro quibus non erat Circumcisio, et pro omnibus sive masculis, sive faeminis, qui nondum diem octavum attigerant. Credebant futuram Christi mortem per cruenta Sacrificia praefigurari. Credebant ut dogma Fidei, omnes libros in Scripturarum Canone numeratos, esse divinos, et uti tales venerabantur, audiebant, legebant, et ad litteram fideliter observabant.

Neque dicas, Christum Judaeorum reprobasse Traditiones, quia Christus non divinas, sed Pharisaicas reprobavit Traditiones, uti erant: non manducare nisi lotis manibus, et nunquam cum peccatoribus; ab his tangi non sinere; non licere die Sabati aegros sanare; neque posse famelicos hac die etiam in extrema necessitate evellere, aut colligere spicas; et alia multa id genus.

Traditionem divinam praecipue habet Lex Gratiae. Haec propositio fusiori indiget probatione, quia fere omnes haeretici antiqui, et

recentes eam aut negant, aut saltem in dubium reponunt.

Traditione rejecta, Ariani Filium Patri consubistantialem negabant, et Semi-Ariani vocem Coessentialem, quia nullibi in Scripturis eae voces legebantur -

Eadem ducti ratione blasphemabant Macedoniani, Spiritum Sanctum non esse cum Patre et Filio glorificandum.

Nestoriani auferebant Mariae semper Virgini dignitatem Deiparae, idest Matris Dei.

= Relate ad duas Naturas in Christo Eutyches ajebat - Qua Scriptura jacent duae Naturae?

= Pelagianorum trita erat ista Cantilena - Credamus quod legimus, et quod non legimus, nefas credamus astruere =

= Equalia his effutiebant Wicleffistae dicentes - Quidquid Papa, et Cardinales ex Scriptura deducant, credendum, quidquid ultra praesumpserint, contemnedum, ut haereticum - Lutherus divinas respuens traditiones contra Henricum Angliae Regem haec blaterabat =

» Ego adversus dicta Patrum, hominum, » Angelorum, Daemonum pono, non antiquum » consensum, non multitudinem hominum, » sed unius Majestatis aeternae verbum, hic » maneo, hic triumpho, hic insulto Papistis, » Thomistis, Henricistis, et omnibus portis » inferi, nedum dictis hominum quantumlibet » Sanctorum, aut consuetudini fallaci, Dei » verbum est super omnia, divina Majestas » mecum facit, ut nihil curem, si mille Au- » gustini, mille Tertulliani, mille Ecclesiae » Henricianae contra me starent; Deus errare

» et fallere non potest, Augustinus et Cypria-
» nus, sicuti omnes electi errare potuerunt,
» et errarunt; dogmata mea stabunt, et Pa-
» pa cadet.

Contra hos, et quoscumque haereticos Traditionis hostes, nos variis momentis probabimus ejus existentiam in Ecclesia Christi.

Probatur 1. ex Scripturis. Adversarii nobiscum fatentur, nostrae fidei Regulam sacram esse Scripturam; si igitur ex auctoritate sacrae Scripturae resultet, habendam, ac tenendam esse divinam Traditionem, oportet hac de re nobiscum sentire Adversarios.

Sacras audiamus Scripturas: Paulus 2. ad Thess. c. 2. v. 14. ait - Itaque fratres state, et tenete Traditiones, quas didicistis sive per sermonem (nota, hic dixit per sermonem) sive per Epistolam nostram -

Idem Apost. 2. ad Timoth. c. 1. v. 13. ait =

Formam habe sanorum verborum, quae a me audisti in fide, et dilectione in Christo Jesu - et cap. 2. v. 1. eumdem alloquens ait. -

= Tu ergo Fili mi, confortare in gratia, quae est in Christo Jesu, et quae audisti a me per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere -- Debet cicutiri qui non videat, loqui hic Paulum de doctrina ad fidem, et ad dilectionem spectante non scripta, sed tantummodo oretenus tradita. Ex sacra Scriptura igitur, quae est nostra Fidei regula, manifesto comprobatur, divinam Traditionem habendam esse, atque tenendam.

Probatur 2. Absque dispendio Fidei nemini datum est resilire a doctrina Patrum, præsertim quando hi docent unanimi consensu aliquam dogmaticam veritatem. Novatores hac de re manifestissimum nobis praebent exemplum.

Patres unanimiter semper tenuerunt habendam et custodiendam esse divinam Traditionem; quis igitur temere audebit asserere, se Traditionem negare, et interim suam Fidem integram esse? Si omnia percurramus Ecclesiae saecula, in omnibus inveniemus, Patres commendasse fidelibus, caute custodiendas divinas Traditiones, atque tenendas esse. In primo saeculo ita sentiere Martyres S. Ignatius, S. Polycarpus, S. Dionysius, qui in libro de Ecclesiastica Hierarchia haec habet. - Primi illi nostri sacerdotalis muneris duces.... summa illa, et supersubstantialia, partim scriptis, partim non scriptis institutionibus suis, nobis tradiderunt. =

In secundo Iustinus, et Irenaeus, qui lib. 3. cap. 4. ait - Quid autem, si neque Apostoli quidem Scripturas reliquissent nobis, nonne oportabat ordinem sequi Traditionis, quem tradiderunt iis quibus committebant Ecclesias? cui ordinationi assentiunt multae gentes barbarorum eorum, qui in Christum credunt, sine charactere vel atramento scriptam habentes per Spiritum in cordibus suis salutem, et veterem Traditionem diligenter custodientes - In tertio Dionysius Alexandrinus, S. Cyprianus, et Origenes, qui ad cap. 6. Epist. ad Rom. asserit = Ecclesia ab Apostolis traditione accepit etiam parvulis baptismum dare =

In quarto S. Athanasius, qui in lib. de decretis Nicaenae Fidei contra Eusebium ajebat-Ecce nos quidem, ex patribus ad patres, per manus traditam fuisse hanc sententiam demonstravimus, vos autem, o novi Judaei, et Caiphae filii, quos tandem nominum vestrorum potestis ostendere progenitores? -

S. Basilius Magnus in lib. de Spiritu S. cap. 27. ait. - Dogmata, quae in Ecclesia praedicantur, quaedam habemus è doctrina scripto prodita, quaedam rursus ex Apostolorum Traditione in mysterio, id est in occulto tradita, recepimus, quorum utraque parem vim habet ad pietatem, nec his quisquam contradicit quisquis sane vel tenuiter expertus est quae sint jura Ecclesiastica... Quod genus est, ut ejus quod primum est, et vulgatissimum primo loco commemorem, ut signo crucis eos, qui spem collocarunt in Christum signemus. Quis scripto docuit ut ad Orientem versi precemur quae docuit Scriptura?

Eadem fere habent Cyrillus Jerosolymitanus, Gregorius Nazianzenus, Epiphanius, Hilarius, Ambrosius etc.

In quinto S. Joan. Chrisostomus hom. 4. sic scribit - *State* et *tenete*; hinc est perspicuum quod non omnia per Epistolam tradiderunt, sed multa etiam sine scripto, et ea quoque sunt fide digna: quamobrem Ecclesiae quoque Traditionem censeamus esse fide dignam; est Traditio? Nihil quaeras amplius. -

Petrus Chrysologus serm. 85. haec habet - Christianus animus, quae sunt Traditione Patrum, et ipsis roborata temporibus, nescit in

disputationem deducere, sed venerari, ac toto desiderat venerationis eloquio.-

Reliqui Patres sunt et ipsi pariter in eadem sententia, uti Hieronymus, Augustinus, Gregorius Magnus etc. etc.

Si igitur hisce saeculis, quando Ecclesia, juxta opinionem Haereticorum, integra erat, et non contaminata, sic Patres omnes opinati sunt de divina Traditione; per consequens dicendum est, Adversarios nostros aberrasse a Fide negantes quod semper tenuit Universa Ecclesia, ideoque concludendum, in Ecclesia Christi divinas Traditiones, quae sunt Verbum Dei oretenus traditum, sicuti est Verbum Dei scriptum, quod continetur in sacris Scripturis, habendas, retinendas, et venerandas esse sicuti divinum eloquium. Mirum est autem, devios verbis divinas negare Traditiones, factis vero eas admittere. Ipsi tanquam Fidei dogmata nobiscum credunt nonnulla, quae in sacris litteris non inveniuntur uti sunt.

= Quod Beata Maria Deipara, fuerit semper, etiam post partum, Virgo.

= Quod parvuli sint baptizandi etiam ante usum rationis.

= Quod baptizati ab haereticis non sint rebaptizandi.

= Quod detur, et existat Scriptura vere divina, seu quae sit verum Verbum Dei; et similia.

Harum veritatum notitia non habetur nisi a Traditione, per consequens est, ipsos factis admittere divinas traditiones, quas verbis negant.

Rationes adeuctae pro divinis Traditio-

nibus sunt ita clarae, et convincentes, ut Brentius insignis Minister Lutheranus, et post mortem Lutheri caput hujus haereticae Communionis in Prolegom non dubitaverit ingenue confiteri dicens - Negari non debet, nec potest, quin tam Christus multa dixerit, et fecerit, quam Apostoli multa tradiderint, et instituerint, quae non sunt ab ipsis litteris comprehensa -

Aperiant oculos obcaecati Novatores, cum Ecclesia Catholica, Verbo Dei tradito adhaereant, a consuetudine SS. Patrum non recedant; redeant filii obedientes ad sinum piae Matris Ecclesiae.

Perenni studio, et diligentia, absque praeventione, amore tantum veritatis ducti meditemur omnes verba hac de re, Papiae Patris secundi saeculi qui lib. 4. sui operis ita scribit.

= » Non his qui multa dicunt, sed qui vera » docent, oblector neque ex illis, qui aliena, et » nova mandata commemorant; sed ex his, qui » recordatione renovant ea, quae sunt a Domino » per fidem tradita, et ab ipsa veritate profe» cta, voluptatem capio. Si quis Presbyter mihi » forte occurrebat, qui cum Apostolis conver» satus fuisset, dicta Apostolorum ab eo dili» genter sciscitabar; nempe quid Andreas di» xisset, quidnam Petrus, quid Philippus, quid » Thomas, quid Jacobus, quid Joannes aut Mat» thaeus, aut quis alius Domini discipulus... Ne» que enim ea, quae in libris pandebantur tantum » mihi subsidii allatura existimavi, quantum ea, » quae acceperam ex hominum voce et sermo» ne, qui adhuc in vita manebant. =

FINIS.

DE CONCILIIS

PRAEFATIO

Ad dirimendas lites , et controversias nec no nad authentice interpretandas leges, omnis bene ordinata societas habere oportet Judicem ad hoc auctoritate fultum ; nam si unicuique de societate datum esset sentire ad suum beneplacitum , evanesceret ordo , felicitas , ac per consequens bonum commune.

Ecclesia est vera societas a Christo Domino institua ad hoc ut membra ejus credendo veritates, quas Deo placuit revelare hominibus , et faciendo ea quae Deus fieri praecepit , quisque valeat consequi ultimum aeternum finem, ad quem tantum ipsa fuit instituta societas. Relate ad ea quae credenda et facienda sunt saepe saepius quaestiones oriuntur, et controversiae , ad quas dirimendas recta ratio postulat adesse judicem auctoritate fretum non solum, sed et infallibilitate, ut quisque absque haesitatione suum praestet assensum ipsius decisionibus. Christus consulens Ecclesiae suae dedit ei hunc judicem , cui auctoritatem tribuit , et infallibilitatem . Judex hic est Ecclesia, sed non quilibet de Ecclesia , sed ii , quos ipse posuit regere Ecclesiam ; ii , qui-

bus commissum est pascere agnos; ii quibus increata Sapientia in personis Apostolorum suam promisit assistentiam usque ad consumationem saeculorum. Hi sunt Episcppi, et animarum Pastores, et praecipue Romanus Pontifex successor Petri, Vicarius Christi in terris. Haec Ecclesia, quae docens dicitur, aut consideretur dispersa per totum Orbem, aut legitime congregata in Conciliis generalibus OEcumenicis, est semper infallibilis in decernendis iis, quae ad fidem, vel ad mores spectant, quibus contraire, aut etiam dubitare est idem ac deficere in fide. Nos, posthabita Ecclesia per Orbem dispersa, agemus hic de Ecclesia in Conciliis generalibus OEcumenicis legitime congregata.

De Conciliis acturi, ut ordinate procedamus, dicemus 1.° generatim de iis quae concilia respiciunt in genere. 2.° speciatim de conciliis Apostolicis. 3.° de Conciliis OEcumenicis in Ecclesia celebratis, defunctis Apostolis. 4.° de Conciliis particularibus, quae occasione haeresum, habita sunt. Tandem, de Conciliabolis ab Ecclesia reprobatis. Sit igitur.

CAPUT I.

De Conciliis in genere

Q. 1. Quid et quotuplex sit Ecclesiae Concilium?

R. Concilium generatim definitur - Praelatorum Ecclesiae congregatio a legitimo capite instituta ad controversias Fidei definiendas, vel Fidelium mores reformandos = Ex data definitione sequitur quatruplicis speciei esse posse Concilium, scilicet *Diaecesanum*, *Provinciale*, *Nationale*, et *OEcumenicum*.

Dicitur *Diaecesanum* congregatio Parochorum indicta ab Episcopo in sua Diaecesi.

Provinciale quando Archiepiscopus convocat omnes Præsules suffraganeos suae Provinciæ.

Nationale illud appellatur, quod a Primate habetur una cum suæ Primatiae seu nationis Prelatis tam Episcopis quam Archiepiscopis. *Generale* sive *OEcumenicum* est illud ad quod, a Romano Pontifice indictum, conveniunt omnes totius Orbis Episcopi, Archiepiscopi, et Primates ad definienda ea, quae ad fidem, vel ad mores spectant.

Q. 2. Quo jure sint Concilia in Ecclesia Catholica?

R. De jure divino contra Lutherum id negantem. Christus facto proprio docuit Apostolos, ac proinde Ecclesiam, quid faciendum in statuendo aliquod Fidei dogma. Ipse, ut dogma suae divinitatis firmaret, Apostolis convo-

catis in unum, quaestionem hanc discutiendam proposuit - Quem dicunt homines esse filium hominis? - Petrus futurus Ecclesiae. Primas, et Caput nomine omnium quaestionem resolvit dicens: - Tu es Christus Filius Dei vivi - Quam decisionem divinitus fuisse revelatam ipse Christus testatus est dicens - Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in Celis est - Matth. c. 16. v. 17. Imo ipse Christus suam promisit assistentiam Ecclesiae sic congregatae.

= Ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum - Matth. c. 18. v. 20. Quibus verbis Christum auctorem fuisse Conciliorum, docuerunt Patres Concilii Chalcedonensis, uti ex Epist. ad Leonem 1. Summum Pontificem.

Q. 3. Cujus juris sit convocare Concilia, et in iis convocatis praesidere per se, aut per suos Legatos?

R. Solius Romani Pontificis quoad utramque propositionis partem. Probatur

Illud Concilium est tantum legitimum, quod nomine et auctoritate Christi convocatum est, sic autem convocare concilia cum non sit nisi Petri, cui Christus ascensurus in Caelum commisit pascere oves, et agnos, scilicet ipsos Episcopos, omnesque fideles, eum constituens caput Pastorum et Rectorem Ecclesiae suae: a Petro igitur, et a suis successoribus scilicet Romano Pontifice coadunari debet Concilium, eidemque per se, aut per suos Legatos praesidere, ut dicatur convocatum in nomine Christi, et habeatur tamquam legitimum, et oecumeni-

cum, et per consequens infallibile in suis decisionibus, quae fidem respiciunt, aut mores; et ita esse comprobat constans traditio ab Apostolis usque ad haec nostra tempora; semper enim Ecclesia Dei concilia, quae aut convocata non fuerunt a Romano Pontifice, aut in quibus Ipse per se, vel per suos Legatos non praefuit, uti conciliabula, et vere latrocinia habuit.

Q. 4. Quinam ad Concilium vocandi sint? Ante responsionem praenotandum est, quatruplicis generis homines posse Conciliis interesse. 1. Episcopos uti Iudices 2. Iurisconsultos ad consulendum. 3. Impendentes eorum ministerium uti Notarios, scribas etc. 4. Principes, sive Magistratus ad hoc ut ordo servetur, et decisa executioni mandentur. Quibus *praemissis*.

R. De jure divino uti judices soli Episcopi, et probatur. Concilium est ipsa Ecclesia docens in unum congregata, de jure divino vocandi sunt igitur soli Episcopi tamquam Judices, qui Ecclesiam Dei docentem representant, legitur enim Act. c. 20. v. 28. posuit Episcopos regere Ecclesiam suam, quam acquisivit sanguine suo - Unde merito Cyprianus ajebat in Epist. ad Tubajanum - Ecclesiam in Episcopo esse - et hac veritate edocti Patres Concilii Chalcedonensis pari consensu clamabant - Mitte foras superfluos. Concilium Episcoporum est - Id de jure; ex consuetudine vero vocantur Cardinales, sicut ex privilegio etiam Abbates, et Religiosorum Ordinum Generales suum omnes dantes suffragium, et definientes, docti ut tantum consultent, et inquirant, caeteri vero Laici ut taceant, et definitionibus acquiescant.

CAPUT II.

De Conciliis Apostolorum.

Q. Quot Concilia ab Apostolis habita fuerunt?

R. Tria, etsi non desint auctores, a quibus pluriora adnumerantur: 1. anno Christi 34. pro eligendo Mathia loco proditoris Judae: 2. pro septem eligendis Diaconis ad sedandum murmur Grecorum etiam anno 34. 3. Pro definienda quaestione de Circumcisione, aliis = que servandis a Moyse jussu Dei in lege praescriptis. De his tantum mentio fit a Luca in Act. Apost. c. 1. c. 6. et 7. tandem c. 15.

§. I.

De I. Apostolorum Concilio.

Q. 1. Quisnam primum convocavit Apostolorum Concilium, quidque in eo actum fuit.

R. Petrus Princeps Sacri Collegii, caetum convocavit, eique praefuit, et coadunatis proposuit (erat autem turba hominum simul fere centum viginti) electionem faciendam in locum Judae unius ex iis, qui fuerunt cum Jesu a Baptismate Joannis usque in diem qua assumptus est: Statuerunt duos, Josephum qui vocatur Barsabas, et Matthiam. Dederunt sortes, et cecidit sors super Matthiam, qui adnumeratus est cum undecim. Act. c. 1.

Q. 2. Dederunt sortem, cecidit sors super Matthiam. Licet nec ne committere sorti electionem ad Ecclesiasticas dignitates? Id nonne prohibetur a variis Canonibus sequentis Ecclesiae?

R. Sortilegium ab Ecclesia prohibitum, est sortilegium superstitionum, quod certe non adhibuere Apostoli in electione Matthiae, uti colligitur ex contextu Act. c. 1. Duos inter tot Christi discipulos elegerunt Apostoli paris meriti, et juxta eorum opinionem aequaliter dignos. In haesitatione positi confugiunt ad Deum, sic eum orantes. - Tu Domine, qui corda nosti omnium ostende, quem elegeris ex his duobus unum accipere locum Ministerii hujus, et Apostolatus, de quo praevaricatus est. - Orationem Fidei exaudivit Deus, cecidit sors super Matthiam; sed quae sors? Eane quae casui fuerat commissa? certo non; sed divinae Providentiae suae aliquo signo supernaturali ostendit novum Apostolum. Ita opinantur Origines, S. Augustinus, Gregorius Magnus, S. Antonius, et alii multi inter Theologos doctissimi.

§. II.

De secundo Apostolorum Concilio.

Q. 1. Quidnam occasionem praebuit huic Concilio, quidque in eo factum fuit?

R. Murmur Graecorum: legitur enim Act. c. 6. v. 1. et seq. - In diebus illis, crescente numero discipulorum factum est murmur Graecorum adversus Haebreos, eo quod despice-

rentur in ministerio quotidiano viduae eorum. Ad tollenda dissidia Apostoli, quia aequum non erat eos derelinquere Verbum Dei, septem ex congregatis elegerunt viros boni testimonii, plenos Spiritu Sancto, et Sapientia, qui mensis ministrassent. Electi fuerunt Stephanus Vir fide plenus, et Spiritu Sancto, et Philippus, et Procorus, et Nicanor, et Timon, et Parmena, et Nicolaus advena Antiachenus, quibus Apostoli orantes imposuerunt manus. Clare haec eruuntur ex supra citato cap. act. Apost.

Q. 2.° Si igitur pro quotidiana, et bene ordinata distributione ciborum ad eliminandum murmur Graecorum, hi primi septem Diaconi electi sunt, Diaconatus inter sacros Ritus non erit adscribendus, eo magis quia ab Apostolis, et non a Christo Domino institutionem habuit?

R. Etsi murmur Graecorum dederit Apostolis occasionem eligendi primos septem Diaconos, non tamen in hoc stat praecipuum munus. Ex commissione enim ipsius Christi constituti sunt in Ministerium Altaris, ordinati fuere ab Apostolis orantibus per manus impositionem.

Vir Apostolis coaevus Ignatius epist. ad Haeronem Diaconum, et epist. ad Trallianos tradit, officium Diaconorum in eo esse, ut Episcopis et Sacerdotibus sacrificantibus, et Sacramenta divina ministrantibus subministrarent. Quin etiam in eo versabatur etiam horum officium, ut vivificum Christi sanguinem communicantibus praeberent, ut testantur Justinus Martyr Apolog. 2. Cyprianus sermon. de lapsis: et de Sanctissimo Diacono, et Martyre Laurentio idem scribit Ambrosius lib. 1. officiorum.

§. III.

De tertio Apostolorum Concilio

Q. 1.° Quanam de causa convocavit Petrus Concilium hoc, quidque in eo fuit definitum?

R. Antiochiae orta acris erat contentio, et celebris agitata quaestio, an scilicet, Gentiles ad Christum conversi ad obtinendam aeternam salutem deberent circumcidi, et observare alia a Moyse in lege mandata. Cerinthus et Ebion, et alii ex haebreis affirmabant. Nimis grave videbatur hoc iis, qui ex gentilitate Evangelium amplexi fuerant. Per Paulum, et Barnabam Jerusalem fertur quaestio ad Apostolos, ut solvatur. Convocat Petrus Concilium; simul in unum conveniunt omnes Apostoli, Seniores, universa Ecclesia, sed non pari conditione. Apostoli tamquam Episcopi ad judicandum, et definiendum; Seniores seu Praesbiteri ad consulendum. Laici vero ad parendum decisis.

Lumine a Deo impetrato, et bene omnibus perpensis, judicatum est atque definitum nihil aliud operis esse fidelibus imponendum nisi abstinentiam ab immolatis simulacrorum, a sanguine, a suffocato, et fornicatione. Legitur enim Act. c. 15. -

Visum est enim Spiritui Sancto, et Nobis nihil aliud imponere vobis oneris, quam haec necessaria; ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, et sanguine, et suffocato, et fornicatione, a quibus custodientes vos bene agetis.

Q. 2.° Si abstinentia ab Idolathitis, sanguine, et suffacato sancita fuit ab Apostolis in hoc

Concilio , quare notsris hisce temporibus , et saeculis etiam anteactis Christiani praeceptum hoc non observant neque observavere ?

R. Praeceptum hoc ad tempus datum fuit ab Apostolis, id requirentibus temporis circumstantiis, quibus cessantibus, cessavit etiam ejus observantia. Multi ex Gentilitate amplexi fuerant Evangelium ; ne igitur viderentur redire ad iterum colenda Idola , Apostoli abstinentiam ab immolatis praecepere.

Gentiles ad fidem conversi coalescebant cum Haebreis etiam conversis in unum populum ; per consequens ne illi his scandalum praeberent, et ne inter eos causa oriretur alienationis , ab Apostolis tunc pro tunc praecepta fuit abstinentia a sanguine , et suffocato , a quibus Haebrei maxime abhorrebant propter antiquam consuetudinem , quae non a Moyse sed ab ipso Noe ortum habuerat : temporis progressu ex Gentilibus , et Judaeis , uno effecto Christi ovili , lex illa anticipata fuit , et hoc non paucis abhinc annis , sed tempore etiam Augustini , unde ipse S. Doctor lib. 32. contra Faustum ajebat. ¹ Quis jam hoc Christianus observat , ut vel minutiores aviculas non attingat , nisi quarum sanguis effusus est , aut leporem non edat , si manu a cervice percussus nullo cruento vulnere occisus est ? -

Q. 3.° In hisce tribus Conciliis fuerunt nec ne editi ab Apostolis canones sive regulae pro bono Ecclesiae , cujus ipsi promulgatores , et rectores a divina Providentia fuerant constituti ?

R. Plures sunt Canones , qui nomine Canonum Apostolorum circumferuntur; sed eruditi va-

lidis innixi raitonibus hos respuunt, et tenent eos tamquam illegitimos, et apocriphos. Priscis Patribus tam apud Latinos, quam Graecos ignoti fuerunt, nam aliter Cyprianus in celebri quaestione an ab haereticis baptizati novo indigerent baptismate, cujus partem affirmativam Cyprianus contra sententiam Stephani Romani Pontificis acriter propugnans, in medium attulisset Canones 45., 46., et 68. qui perspicue decernunt nullum, baptismum ab haereticis collatum. Horum canonum mentionem fecisset Firmilianus Episcopus Graecus, qui Cypriani opinioni firmiter adhaerebat; sed hi de iis nullum verbum faciunt, praesertim in frequenti conventu Episcoporum, cui ipsi praeerant, quod clare demonstrat nullam de iis habuisse notitiam et hoc quia canones hi non extabant. His adjunge Augustinum, qui nec in totis septem Libris de Baptismo contra Donatistas, in quibus fusissime de hac quaestione disputat, ullius meminit Apostolorom canonis. Imo vero l. 5. cap. 23. sic ait. - Apostoli nihil exinde praeceperunt sed consuetudo illa, quae opponebatur Cypriano, ab eorum traditione exordium sumpsisse credenda est, sicut multa, quae universa tenet Ecclesia., et ob hoc ab Apostolis praecepta recte creduntur, quamquam scripta non reperiantur. Hæc Augustinus. Fateor multa utilia in iis contineri, sed in dubium revocari nequit, adesse plurima reprobanda præsertim quia opposita doctrinæ Romanæ Ecclesiæ edoctæ a D. Petro. Apparebit id manifesto si præter Canones superius relatos 45, et 46 legantur Canones 5. 65. 68. Unde merito li-

brum hos Canones continentem anno 493. Gelasius 1.° in Concilio Romae habito septuaginta Episcoporum inter libros apocraphos connumeravit. Teste Marcello Romano Pontifice, et simul Martyre, tres fuerunt ab Apostolis factae sanctiones, non scripto mandatae, oretenus tantum Ecclesiae traditae pro recto ordinato ipsius regimine, quarum tamen nulla ad Canones illos vulgo Apostolis adscriptos referri potest; sunt autem hae sanctiones.

1.ª Ut undequaque, a quibuscumque judiciis liceat Episcopis Apostolicam sedem appellare.

2.ª Ut nullum haberi Concilium possit, nisi de supremae sedis consensu.

3.ª Ut Episcopi criminum accusati judicari non possint nisi in Synodo, quae fuerit Romani Episcopi auctoritate indicta.

CAPUT

DE CONCILIIS OECUMENICIS

Quot sint OEcumenica Concilia in Ecclesia Christi post discessum Apostolorum celebrata, inter se non conveniunt auctores. Nos de iis acturi probabiliorem sequemur opinionem, et tantum de iisdem dicemus, quo anno, sub quo Romano Pontifice coadunata fuere, et quare: quidque in unoquoque eorum definitum

fuit, tam relate ad Fidem, quam ad mores non praeteribimus.

Qui plura scire cupit eos legat oportet, qui de fastis Ecclesiae fusius pertractavere.

§ I.

DE SYNODO NICENA I.ª

OECUMENICA I.

Q. 1. Ob cujus causam hoc fuerit coadunatum Concilium, a quo indictum, quot adfuerint Episcopi, et quid in eo difinitum?

R. Saeculo tertio Paulus Samozatenus Anthiochiae Episcopus, qui Christi divinitatem negabat, jam ab Ecclesia fuerit damnatus. Pestiferum errorem ab orco revocavit Arius Praesbyter Alexandrinus, cui adhaesere Episcopi Eusebius Nicomediae cujus apud Constantinum maxima erat gratia, et auctoritas: Paulinus Tyri, Patrophilus Sitopoleos, Maris Chalcedonis, Theognes Nicaeae, et dubitatur etiam de Eusebio Caesareae in Palestina.

Arius loquens de Verbo Dei haec disseminabat in populum — Erat aliquando, quando non erat; ex non extantibus factus est, non de Patris substantia genitus ex tempore, non ab aeterno haud quaquam Deus verus de Deo vero, sed ex nihilo creatus, minor Patre, voluntate naturaque mutabilis — Quae aliaque similia sacrilege diffundens multis calamitatibus diu Catholicam afflixit Ecclesiam. Silvester Ro-

manus Pontifex ut tot occurreret malis una cum piissimo Imperatore Constantino Magno anno 325. indixit generale Concilium celebrandum Nicaee in Bithynia. Interfuere una cum Legatis Sedis Apostolicae Episcopi 318. ex majori parte sanctitate, et doctrina conspicui; ipse Constantinus sedit inter Patres non jam uti Judex, sed ut moderator, aureo quidem sedili, sed humili, ac infra Episcopos.

Arius accersitur cum suis fautoribus, et omnes invitantur, ut suas in medium proferrent sententias, atque rationes. Multi orthodoxi disputant cum haereticis, et praesertim cum ipso Ario Athanasius etsi Diaconus. Omnibus ad normam sacrarum Scripturarum bene perpensis communi Patrum suffragio cum Ario, et Arianis Ariana damnatur haeresis, et conclamatur Dei Filius Deus de Deo, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero, Consubstansialis Patri, et omnes post Osium Cordubensem, quia Apostolicae sedis Legatum, Episcopi subscripsere sententiam una cum Symbolo Fidei in ipso Concilio exarato ex Athan: Socrat: Sozom: et Theod: a Labbaeo.

Hisce peractis contra Quatuordecimanos, qui more Judeorum Pascha celebrabant quacumque die incidisset Plenilunium Martii statutum fuit, juxta Apostolicam Traditionem solemnitatem Paschalem celebrandam esse Dominica sequenti decimam quartam Martii Lunam post vernale aequinotium.

Judicata fuit causa Meletii Episcopi Licopoleos in Ægypto, qui idolis sacrificaverat, et damnatus cum suis fautoribus.

Tandem ad restaurandam, et confirmandam Ecclesiae disciplinam plures editi Canones, Concilium hoc OEcumenicum 1. caeptum anno 325. die 13. Kalendas Julii absolutum fuit 8. Kalendas Septembris ejusdem anni.

§. II.

DE CONCILIO I. CONSTANTINOPOLITANO OECUMENICUM II.

Concilium hoc nonnulli opinantur OEcumenicum non fuisse, quia Romanus Pontifex non indixit, nec ei praefuit sive per se, sive per suos Legatos. Convocatum fuit a Theodosio Seniore anno Christi 381, et interfuerunt tautummodo 150. Episcopi Orientales, qui sub praesidentia Episcopi Alexandrini (uti probabilius creditur) Constantinopolim convenerant; at hi multum quidem a veritate aberrant, quia Concilium hoc Costantinopolitanum 1. semper habitum fuit uti unum cum eo, quod eodem anno Damasus R. P. Romae coadunavit, eique praefuit per se ipsum, ac per consequens habendum OEcumenicum, eomagis quia uti tale ab universali Ecclesia semper habitum fuit, ejusque doctrina tamquam revelata, et de fide credenda Romàni Pontifices una cum omnibus fidelibus semper tenuere.

Q. 1.° Qua de causa fuerit hoc coadunatum Concilium, et quid in eo Patres congregati definiere?

R. Tres potissimum causae fuere scilicet.

1. Ut Nicaena fides tot jactata procellis, et pseudo-Synodis reprobata de novo adversus Arianos stabiliretur.

2. Ut Macedoniani negantes Spiritus Sancti divinitatem profligarentur. Macedoniani sic dicti fuerunt a Macedonio Episcopo Constantinopolitano, qui prius cum Arianorum adhaesisset errori, dein bellum indixit majestati Spiritus Sancti, ob quam causam ejus sectatores vocati sunt etiam *Pneumatomachi*.

3. Ut Ecclesiae Constantinopolis Praesul orthodoxus preficeretur, quam Ariani Episcopi Eusebius, Macedonius, Eudoxius, Demophilus alter alteri succedendo labefactaverant.

Huic malo provisum fuit. Eligitur in Episcopum E. P. Gregorium Natianzenum, et ipso sponte dimittente munus, praeficitur Nectarius vir consularis...

Revocatur Nicaena fides de Verbi divini cum Patre consubstantialitate, et damnantur nefaria Macedonii dogmata, et Divinitas Spiritus Sancti proponitur de fide credenda universae Ecclesiae, multasque adjecit declarationes Symbolo Nicaeno ad profligandas haereseos, quae tunc serpebant in Ecclesia.

Q. 2.° Quaenam sunt hae declarationes, quas adjecit Synodus haec Constantinopolitana Symbolo Nicaeno ad haereses profligandas?

R. Sequentes, scilicet.

1. Ad primum articulum, contra Marcionitas, Manichaeos, et alios, duo admittentes principia, ante haec Nicaeni Symboli verba, Visibilium et invisibilium additur *Coeli et ter-*

ræ a Constantinopolitano, majoris explicationis gratia.

2. Contra Photinum, Verbum divinum, non aeternum, nec consubstantiale, sed temporale esse, et in Virginis utero caepisse, blasphemantem, additur *natum ante omnia sæcula*.

3. Contra haeresim Apollinaris volentis Filium hominis de coelo venisse, suamque de coelo carnem tulisse, additur *de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine*.

4. Cum in Nicaeno legeretur tantum, *passus est*, additur majoris explicationis gratia, *Crucifixus etiam pro nobis, sub Pontio Pilato, et sepultus*.

5. Contra fabulosam de millenario Christi in terris regno, addita sunt ista de Christo: *Sedet ad dexteram Patris, venturus cum gloria, cujus regni non erit finis*.

6. Contra Macedonium, Spiritum Sanctum Deum esse negantem, post haec Nicaeni Symboli verba, et in Spiritum, additur *Dominum et vivificantem, cum Patre et Filio adorandum, et conglorificandum, qui locutus est per Sanctos Prophetas, et reliqua*.

§ III.

DE SACROSANTA SYNODO EPHESINA OECUMENICA III.ª

Q. 1.° Quare, quo anno, et sub quo Pontifice fuerit haec congregata Synodus?

R. Anno Domini 431, Nestorius jam successerat Sisinnio in Sede C. T. imperante Theodosio juniore, et Romae sedente Celestino I. Pontifice Maximo. Novus hic Patriarcha geminas Christo affigens personas sive hypostases, divinam scilicet et humanam, docebat Mariam Virginem non Deiparam, sed Christiparam esse dicendam, cum non divinam, sed humanam genuisset personam. Impia vox statim magnos excitavit tumultus; in eum irati populi attollitur clamor, et vulgata per Orientem nefanda haeresi, fremuerunt omnes quotquot fuere Orthodoxi. Cyrillus Alexandrinus vir vitae sanctitate, et eruditione conspicuus in visceribus Charitatis epistolis monet, ut ab errore recedat, et Beatam Virginem Deiparam fateri non recuset, sed quia haeresiarcha pertinax est in suo errore, Cyrillus de omnibus certiorem fecit Celestinum R. P. Re mature perpensa, Celestinus mandat Cyrillo, ut Nestorium anathemate feriat, nisi inter decem dies palidoniam canat. Veritati pertinaciter Haeresiarcha resistit, et ideo, postulante Cyrillo, tamquam Apostolicae Sedis Legato, Theodosius Ephesi Minoris Asiae Metropoli OEcumenicum indixit Concilium, ad quod interfuere plusquam 200. Episcopi, inter quos, nisi morte praeoccupatus, adfuisset etiam lumen Ecclesiae, Malleus haereticorum, Divus Augustinus. Uti Legatis Apostolicae Sedis praesidentibus Cyrillo Alexandrino, Arcadio ex Projecto Episcopis, nec non Presbytero Philippo., Nestorius primo, secundo, et tertio rite citatur coram Patribus una cum suis fau-

toribus. Convincuntur de haeresi. Patres diligenter omnibus discussis, publice pronunciata Nicaena Fide, ferunt in eum, et in fautores excommunicationis, et depositionis sententiam, damnatur ejus haeresis, et definitur in Christo unicam esse personam, et B. Virginem Mariam Deiparam esse, et pie creditur tunc Angelicae salutationi, omnibus de populo plaudentibus adjunctam fusse particulam hanc = *Sancta Maria Mater Dei ora pro nobis etc.* =

Sic completnm est Concilium hoc, quod suum habuit initium Ephesi in Ecclesia B. Mariae die Pentecostes decimo Kalendas Julii anno 431.

In hoc Concilio multi aediti fuere Canones contra tunc vigentes haereseos, et valde utiles disciplinae, Ecclesiaeque decori.

§. IV.

DE CHALCEDONENSI CONCILIO OECUMENICO IV.

Jam Nestorius feliciter a Patribus Ephesini Concilii damnatus fuerat, ejusque haeresis de duabus in Christo personis proscripta, cum Constantinopoli non minus pestifer error subortus est. Eutyches celeberrimi Cœnobii Archimandrita jam acriter unicam in Christo Personam defenderat contra Nestorium, infeliciter tamen incidit in oppositum errorem, unicam tantum admittens in Christo naturam, scilicet

divinam, quia humana totaliter absorta fuerat in unione a natura divina, quae dein sola remansit in Christo. Flavianus, qui in Patriarchatu C. P. Proclo successerat, monitus exhorruit, et exhorruere omnes Episcopi congregati, et quia pertinax in suo errore damnatur haeresis, et haeresiarcha. Hic ira tabescens in Flavianum confugit ad Dioscorum Episcopum Alexandrinum qui propria auctoritate concilio convocato, temerario ausu anathema dixit in ipsum Romanum Pontificem Leonem I. et publice Flavianum ita pugnis calcibusque affecit, ut post triduum gravi dolore tot plagarum pressus obierit in exilio, proclamato, et approbato Eutychiano errore, expulsis Legatis Apostolicis, et ex Orthodoxis Episcopis partim morte affectis, partim in carcerem detrusis. Hoc est Conciliabulnm quod semper in Ecclesia Dei latrocinium Ephesinum nuncupatum fuit.

Cupidus S. Leo restituendi pacem Ecclesiae tot vexata procellis petiit et obtinuit a Pulcheria, et Marciano Convocationem Concilii OEcumenici Chalcedonem Bythyniae Urbem, ad quod convenerunt Episcopi 636. cum ipso Marciano Imperatore, qui interfuit non jam uti judex, sed ut defensor et tutor.

Incepta est haec sacrosancta Synodus octavo Octobris die anno Christi 451. in Basilica S. Euphemiae V. et M. praesidentibus Sedis Apostolicae Legatis Episcopis Paschasino Lilyberano, Lucentio Asculano, et Juliano Coensi, nec non Bonifacio, et Basilio Presbyteris.

Sedit inter Patres et ipse Dioscorus reclamartibus tamen Apostolicis Legatis, adjecta ra-

tione non posse sedere uti judex qui reus judicandus erat. Re mature perpensa ejicitur e conventu, et actiones sive sessiones incipiunt.

Q. Quot actiones peractae fuere, quidque in eis fuit definitum, atque provisum?

R. Plures in hoc Concilio peractae fuerunt actiones. In I.ª Dioscorus canonice ter citatus ut sisteret coram Patribus, contumax ob ejus plura crimina jam probata, et quia inconsulta Romana Sede ausus fuerat convocare generale Concilium eique praesidere, quod numquam adhuc factum fuerat, nusquam licuit, Episcopali dignitate, et sacerdotali ministerio est spoliatus; et Episcopi, quos ipse Dioscorus deposuerat, emissa Fidei professione restituti sunt propriis sedibus.

In 2.ª agitur de Fide. Recitato ante omnia Symbolo Nicaeno simul, et Constantinopolitano, lectisque SS. Leonis, et Cyrilli Epistolis adversus Nestorium, et Euthychetem, Patres unanimi consensu, unoque ore de Christo Deo vero et homine hanc emiserunt Orthodoxam definitionem.

» Constanter omnes docemus Chsistum Jesum
» Deum verum, et hominem verum, consubstan-
» tialem Patri secundum divinitatem, consubstan-
» tialem nobis secundum humanitatem, per omnia
» nobis similem absque peccato: ante saecula
» quidem a Patre genitum secundum deitatem,
» in novissimis autem diebus eumdem propter
» nos, et nostram salutem, ex Maria Virgine
» Dei Genitrice secundum humanitatem unum
» Christum Filium Dominum Unigenitum, in
» duabus naturis, inconfuse immutabiliter, indi-

» vise, inseparabiliter agnoscendum nusquam sublata differentia naturarum propter unitionem, magisque salva proprietate utriusque naturae, in unam personam atque subsistentiam concurrentis non in duas personas partitum, atque divisum.

» Haec est Patrum fides, haec Apostolorum fides, omnes ita credimus, Orthodoxi ita credimus, anathema qui non ita credit, Petrus per Leonem ita locutus est.

Marcianus qui una cum Pulcheria Augusta huic actioni aderat, lege sancivit ne cui amplius in posterum liceret de fide disputare. Uti habetur in Cod. Just.

Hisce peractis, plures aliae habitae fuerunt sectiones relate ad vitam et honestatem Clericorum non solum sed et Monacorum, et sic conclusum est feliciter Concilium Kalendis Novembris.

Haec quatuor OEcumenica Concilia de quibus hucusque egimus, scilicet Nicaenum, Constantinopolitanum, Ephesium, Chalcedonense Gregorius Magnus in eumdem voluit habere honorem ac quatuor Evangelia.

§. V.

DE CONCILIO CONSTANTINOPOLITANO II. OECUMENICO V.

Per Synodos Ephesinam, et Chalcedonensem, Nestoriana perfidia, et impietas Eutychiana prostratae fuerant, sed non extinctae. Metu Marciani religiosissimi Principis utraque haere-

sis repressa occulte letebat; at e vivis sublato Augusto, Dioscori fautores, Eutychiani, caeterique haeretici caput extulerunt, et inter hos potissimum Origenistae ita dicti, quia auctoritate fulti Origenis eruditissimi Viri multos, ac pestiferos disseminabant errores erutos ex ejus libris, uti ipsi jactitabant.

Haeresis damnatur; iniquo animo tulit damnationem hanc Theodoricus Cesareae Cappadocum Antistes insignis Origenista, et in ultionem fraudolenter obtinuit imperiale decretum, quo damnabantur tria Capitula Concilii Calcedonensis, suadens Imperatori, quod, illis tribus detersis capitulis, ubique et nemine discrepante, Synodus ista reciperetur.

Multi ex Episcopis praesertim occidentalis Ecclesiae renuunt subscribere edictum et ob hoc laudantur a Virgilio. Annuente, et consensiente ipso Virgilio Romano Pontifice, Constantinopoli convocat opera, studio, et favore Justinianus imperator Generale Concilium anno Christi 353 cui interfuere Episcopi 165, inter quos tres eminebant, scilicet Eutychius Costantinopolitanus, Apollonius Alexandrinus, et Domnus Antiochenus.

Q. 1.° Quidnam sunt tria illa Capitula de quibus suasi Theodori Caesareae, suo decreto Justinianus sancivit nullam habendam esse rationem?

R. Primum erat de Theodori Mopsuesteni libris, in quibus ipse docebat contra Eunomium et Apollinarem duas esse in Christo naturas, negabat tamen unitatem personae, ac per consequens blasphemabat, Mariam Virginem non

esse Deiparam appellandam = Alterum de Theodoreti Cyrensis diatriba in Cyrillum tam Catholicae fidei benemeritum, qui duodecim Ephesinae Fidei cum capita conscripsisset, ei totidem Theodoretus objecerat anathematismos.

Tertium de Ibae Edesseni ad Marim Pirram epistola, in qua arguit Rabulam praedecessorem suum, quia Mopsuestenum de fide bene sentientem immerito damnaverat.

Q. 2. Praefuit nec ne, aut per se, aut per suos legatos huic Concilio Vigilius Romanus Pontifex?

R. Minime: tam Patres Concilii, quam ipse Imperator missis internunciis rogaverunt Vigilium, ut ad Concilium accederet: nullis tamen precibus adduci potuit, ut a praedecessorum suorum consuetudine recederet, qui nunquam, ut ipse ajebat, in OEcumenicis Synodis consederant, pollicitus, se approbaturum quidquid pro Ecclesiae dignitate in Concilio esset sancitum; et reapse id fecit una cum omnibus Episcopis Orientalibus, et dein praedecessores ipsius Vigilii in Cathedra Petri fecerunt; nam acta in hoc Concilio probata fuerunt a Pelagio secundo, a Gregorio Magno, a Leone secundo, ab universa Ecclesia; meretur per consequens numerari et ipsum inter OEcumenica Concilia.

Q. 3.° Quidam in hoc Concilio per Patres congregatos peractum est?

R. Ante omnia Fidem Catholicam ab Apostolis traditam, et a quatuor praecedentibus Conciliis declaretam Concilii Patres profitentur et damnant haereticos ab iisdem Conciliis da-

mnatos. Quibus peractis, decernitur de tribus Capitulis esse tractandum: agitur in primis de Theodoro Mopsuesteno, et omnibus bene perpensis, examinatisque libris, anathema in eum ejusque doctrinam conclamatum est, atque definitum haereticos etiam post mortem posse damnari, Augustino id etiam testante. Post Theodori haereticam doctrinam Theodoreti scripta perlegerunt Patres hoc est anathematismos in Cyrillum; laudatum est Sanctum Calcedonense Concilium, quod non prius Theodoretum ad comunionem recipisset, nisi postquam is Nestorio anathema dixisset.

Relate ad Ibam, accurate ejus lecta epistola, et cum compertum sit, doctrinam in ea contentam adversari Epistolae S. Leonis ad Flavianum, et favere Nestorio, et scriptis Theodori uno ore conclamatum est a Patribus - *Epistola haeretica est*, *Epistola quae dicitur Ibae omnes condamnamus*, *istam omnes anathematizamus etc. etc.* - et ad calcem sententiae a Patribus appositi sunt 14 anathematismi, seu Canones cum anathemate, in quibus nedum haec tria Capitula, sed ipsi Origenistae sunt anathematizati, imo Arius, Eunomius, Macedonius, Apollinaris, Nestorius, Euthyches, Origenes, et alii cum suis impiis scriptis in quatuor primis Conciliis a Catholica, et Apostolica Ecclesia damnatis, iterum damnati fuere, atque anathematizati. Post haec Concilium inchoatum quarto Nonas Maii anno 553 conclusum fuit.

§. VI.

DE TERTIO GENERALI CONCILIO CONSTANTINOPOLITANO OECUMENICO VI.

Q. 1.° Quaenam fuit causa ut hoc indiceretur Concilium ?

R. Compertum est ab impuri Eutychaetis haeresi diversas sectas quasi surculos, et propagines erupisse, quae sub Zenone, et Anastasio Imperatoribus haereticis ita virus suum per Orientem propagaverunt, ut innumera mala, et valde noxia in Ecclesia Catholica pepererint. Inter has numeratur haeresis Monothelitarum sic dicta, quia unam admittebat in Christo voluntatem, unamque operationem, dicebant enim : quia cum una sit Christi persona, et proinde unus operator, unus volens, sic unica voluntas, unaque operatio esse debebat.

Sophronius spectatissimae vitae Monachus huic impiae novitati verbis, et scriptis se ardenter opposuit; imo ad Patriarchalem Jerosolimae sedem evectus in Concilio habito suorum Episcoporum Monothelismum damnavit, at deinde plus aequo indulgens Sergio Constantinopolitano Antistiti siluit metu etiam Eraclii Imratoris qui suo favore prosequens Monothelistas, *Ectesim*, hoc est Fidei professionem, edidit Monothelitarum erroribus refertam. Ad haec

tot mala labefactanda indictum est Constantinopoli Generale Concilium.

Q. 2.° Quo anno, auctoritate cujus, quo Principe regnante, fuerit haec OEcumenica Synodus convocata, quo loco habita, quotque fuerint Episcopi congregati?

R. Defunctis jam Imperatoribus Orthodoxae Fidei inimicis, Constantinus Pogonatus Princeps religiosissimus imperii regebat habenas.
Hic ut pacem redderet Ecclesiae anno Domini 680 petiit ab Agathone Romano Pontifice Concilii Generalis convocationem Constantinopoli habendi. Annuit Agatho, imo et convocat Romae 125 Occidentales Episcopos, et Monothelitarum damnat perfidiam et quatuor mittit, Constantinopolim Legatos, videlicet Theodorum, Georgium Presbyteros, Joannem Diaconum, et Constantium Subdiaconum. Synodus Romae habita três etiam ipsa mittit Episcopos Legatos. Quot eo convenerint Episcopi inter se non conveniunt historici. Fuisse 289 asserunt Theophanus, et Cedrenus in suis annal: Photius in lib: de Synodis tantummodo 170, scimus nos vero non plusquam 166 reperiri subscriptos in actis ipsius Synodi. In secretario imperialis Palatii, quod *Frullus* dicitur quia rotundae figurae in altum perrectum, ceptum est Concilium, et adfuit ipse Imperator uti defensor, et moderator.

Q. 3.° Quid per Patres in hac sexta OEcumenica Synodo peractum fuit; atque definitum?

R. Postquam juxta ordinem consedissent Patres, lectae fuerunt Epistolae et Agathonis ad

Constantinum, et Romanae Synodi ad Patres Constantinopolitanos, et simul acta Concilii Chalcedonensis, et Ephesini, ex quibus clare deducebatur duplicem in Christo fuisse voluntatem, duplicemque operationem. Macarius Antiochenus Monothelita pertinaciter restitit veritati optans potius, ut ipse ajebat, membratim incidi, quam a sua opinione recedere, quam ipse multis Sanctorum Patrum testimoniis orthodoxam esse, probare conabatur: at cum a Patribus compertum sit testimonia allata partim esse falsa, atque interpellata, partim adulterata, partim truncata, uno ore condamnatum est anathema in eum, et ablata insignia Patriarchalia, in cujus locum subrogatus est Thophanes vir spectatae fidei, et probitatis morum.

Post haec unanimi consensu excuditur a Patribus Catholica Fidei formula, qua geminae Christi voluntates, atque operationes divina una, humana altera distinctae et inconfusae praedicantur, et insumul Monothelitarum haeresis, ejusque auctores sectarii, ac defensores magno omnium Catholicorum applausu condemnatur in genere, nominatim autem Theodorus Pharanita, Sergius, Pyrrus, Paulus, et Petrus unus post alterum Constantinopolitani Patriarchae; Ecthesim Heraclii Imperatoris damnata fuit, atque proscripta, et inter viventes anathematizati fuerunt Macarius Anthiochenus, Stephanus ejus discipulus, et Polychronius senex delirus, qui in confirmationem suae doctrinae spondebat mortuum a se in vitam revocatum iri, quod tamen nunquam fecit etsi

facere pluries et enixe curasset, sed frustra.

Hac occasione damnatus fuit etiam ipse Honorius Romanus Pontifex, attamen non uti haereticali labe infectus, sed tantum, quod unicam in Christo voluntatem docentes statim, ut par erat, non coercuit, sed potius fovit sua negligentia suoque silentio: suppeditavit enim haereticis opportunitatem latius diffundendi Monothelismum. Merito igitur est damnatus, *quia flammam haeretici dogmatis non ut docuit Apostolica auctoritate incipientem extinxit, sed negligendo confovit*, ut scribit Leo 2. ad Hispaniae Episcopos, et idem Pontifex scribit ad Hispaniarum Regem dicens; *quia immaculatam Apostolicae traditionis regulam maculari permisit.* Monothelita vero Honorius non fuit, non defecit in fide. Ipse Agatho in Epistola ad Constantinum Pogonatum scribit, neminem praedecessorum suorum in fide defecisse, sed suos fratres semper in fide confirmasse. = *Consideret itaque* (sunt verba Agathonis) *vestra tranquilla clementia quoniam Dominus et Salvator omnium, cujus fides est, qui fidem Petri non defecturam promisit, confirmare eum fratres suos admonuit; quod Apostolicos Pontifices meae exiguitatis praedecessores confidenter fecisse semper cunctis est cognitum.* = Quae verba lecta in hac Synodo actione 8.ª probata fuerunt tamquam a Spiritu Sancto dictata per os Paetri Apostolorum Principis.

Concilium hoc quod inceperat Idus Novembris anno 680, conclusum fuit die 16 Decembris anno 681, Leo II. sua confirmavit auctoritate, quia Agatho e vivis iam raptus fuerat.

§. 7.

DE GENERALI CONCILIO NICAENO II. OECUMENICO VII.

Iconoclastae seu Ichonomachi, hoc est sacrarum Imaginum hostes, saeculo octavo praesertim in Oriente debacchati sunt ipsis faventibus Imperatoribus scilicet Leone Isaurico Constantino Copronymo, et altero Leone Copronymi filio. Imperatoris satellitibus stipati cursitabant per plateas, per Ecclesias per utriusque sexus Monasteria, per privatorum aedes, et undique sacras imagines, Sanctorumque reliquias diripiebant et incendebant et quotquot inveniebatur eas venerari, aut occultare, jussu Imperatoris durissimis nervis in publico foro ad necem verberabantur. Haec erat illis infelicissimis temporibus Ecclesiae Catholicae deplorabilis conditio.

Q. 1.° Quando, et quomodo tot impietates, tantaque mala finem habuerunt?

R. Infelici morbo correptus moritur Leo Copronymi filius, qui et ipse Constantinum filium minoris aetatis, quem habuit ab Irene piissima Imperatrice, haeredem reliquit. Ecclesia Constantinopolitana suo erat viduata Pastore. Eligitur Tharasius, qui renuit onus, et annuit tantum, cum ei Imperatores convocationem OEcumenici Concilii spoponderunt. Tunc ad Patriarchalem Cathedram evectus scripsit Adriano I.^a

Romano Pontifici, cui scripserunt etiam Augusti convocationem petentes Generalis Concilii. Quod reapse rogatu, auxilio, et opera Imperatorum quidem sed reapse auctoritate Romani Pontificis Constantinopoli indicitur, etsi postea rationabilibus causis exigentibus translatum fuerit Nicaenam. Adrianus suos ad praesidendum mittit Legatos Petrum Archipresbyterum Ecclesiae Romanae, et Petrum Abbatem S. Sabae. Hujus Sacrosanctae Synodis, cui interfuerunt 350. Patres, celebratio inchoata est octavo Kalendas Octobris anno Domini 787.

Q. 2. Quid in hoc Concilio a Patribus peractum est, quidque definitum?

R. Lectis epistolis ad Concilium Adriani I. Romani Pontificis, nec non Constantini et Irenis, discutitur causa Episcoporum qui sub Leone Isaurico cultum damnaverant sacrarum Imaginum. Cantata palidonia, et ejurata haeresi; eis ignoscitur, et suas in Sedes restituuntur. Approbant Patres, et confirmant OEcumenica Concilia jam habita, unanimiter dicentes = Cuncta Ecclesiae dogmata conservamus, et sex universalibus Conciliis inhaerentes eorum acta comprobamus = et iterum, atque iterum anathematizamus haereticos erroresque ab ipsis Conciliis damnatos, et anathematizatos =

Symbolum Fidei recitatur ab omnibus cum hac de Spiritu Sancto professione (juxta multorum Auctorum opinionem) *qui ex Patre Filioque procedit*, et definitur cultum adorationis non jam Latriae soli Deo debitae, sed adorationis dumtaxat honorariae sacris Imaginibus exhibendum esse. En verba Concilii.

» Definimus in omni certitudine sicut figu-
» ram vivificantis Crucis, ita venerabiles, et
» sanctas imagines propagandas ex quavis ma-
» teria paratas, congruenter in Templis san-
» ctis, vasis, vestibus, parietibus, et tabulis
» in aedibus privatis, in viis publicis haben-
» das, quo scilicet per hanc imaginum inspe-
» ctionem inspectores ad Prototyporum memo-
» riam veniant, et desiderium, illisque salu-
» tationem, et honorariam adorationem exhi-
» beant oblationibus suffiminum et luminum,
» ut antiquis piae consuetudinis erat; imaginis
» enim honor in prototypum resultat. Non ta-
» men veram Latriam, quae secundum fidem
» est, quaeque solum divinae naturae compe-
» tit, impertiendam: Igitur qui aliter docuerit,
» vel aliquid ex his quae deputata sunt Eccle-
» siae, sive Evangelium, sive figuram Crucis,
» sive sanctas Martyrum Reliquias, quas sci-
» verit esse germanas, et veras projicere aut
» contra constitutionem Ecclesiae improbe ali-
» quid moliri ausus fuerit, si Clerici, aut Epi-
» scopi fuerint, deponi praecipimus, Monachos
» autem et Laicos a Comunione privari.

Dein omnes Patres post Apostolicos Legatos subscribunt una cum Imperatore, ejusque Matre Irene.

Multi hac occasione editi sunt Canones relate ad disciplinam Ecclesiae, et sic Concilium hoc convocatum octavo kalendas Octobris anno 787 cunclusum fuit die 22 Octobris ejusdem anni.

§. VIII.

DE IV. GENERALI CONCILIO CONSTANTINOPOLITANO

OECUMENICO VIII.

Q. 1.° Qua de causa, quo anno, et sub quo Romano Pontifice sit hoc indictum Generale Concilium?

R. Ad Photii Schisma reprimendum anno Chsisti 869 Romae sedente Adriano II.° et post mortem Michaelis imperante Basilio, Constantinopoli haec fuit convocata sacrosanta Synodus auctoritate Romani Pontificis, opus et favorem praebente Imperatore.

Q. 2.° Hujus Schismatis quaenam fuerant principia, quique progressus?

R. Ignatius vir sanctissimus Constantinopolis Ecclesiam regebat, imperatore juvene Michaele sub tutela Matris Theodorae sapientissimae mulieris. Ignatius ut boni vigilisque Pastoris munere fungeretur pluries paterne Bardam arguit, monuitque sibi abstinendum esse ab incestuoso concubitu, quem cum nuru habebat, propria dimissa uxore. Bardas charitatis monita non audit, obduratur in malum. cor ejus, et ideo a communione fidelium scinditur a vigili gregis Christi Pastore. Ob hoc furit Bardas, atque in Ignatium omnia possibilia mala molitur. Credulus Imperator callido ministro adhaeret, a Patriarchali Sede deponitur Ignatius, et Photius

in ejus locum intruditur, qui cum esset Laicus spatio sex dierum contra Canones, venerandasque Ecclesiae leges repente ad omnes omnium ordinum gradus promotus est usque ad Episcopatum a Gregorio Syracusano, qui paucis abhinc annis meruit ab episcopali Sede deponi ob ejus notoria et probata crimina.

Haec Photii promotio prima fuit causa et occasio inveterati Schismatis quo Graeci scissi remanent a Romana Sede, ac per consequens ab unitate Ecclesiae.

Donec Imperator Michael, et impius Bardas vixerunt, nemo fuit, qui efferae crudelitati, insatiabili ambitioni, et numquam auditae perfidiae Photii modum praescribere, aut originem opponere valeret.

Propria auctoritate fere novus Princeps Apostolorum convocat Concilia, et in iis spe praemiorum in suam perducit opinionem Episcopos congregatos, metu, et terrore incusso, Nicolai I. Romani Pontificis Legatos corrupit: nihil igitnr mirum si ab hoc Conciliabulo justa judicetur Ignatii degradatio; Legatis, et Canonica Photii assumptio, imo temerario ausu ipse Romanus Pontifex Nicolaus damnatur, et anathematizatur.

Moritur autem Bardas, moritur et ipse Michael, Basilius potitur imperio, qui cum justitiae et Religionis Princeps esset amantissimus, revocat Ignatium ab exilio, et a Patriarchali Ecclesia Photium expellit, et in Monasterium detrudit, simulque ut pacem, et unitatem redderet praesertim Ecclesiae Orientali petit, et obtinet ab Adriano II. Romano Pon-

tifice Concilium Generale Constantinopoli habendum.

Q. 3.° Quo tempore suum habuit hoc Concilium initium, et finem? Qui interfuere, quidque per Patres sit in eo decisum?

R. Die quinta Octobris anno Domini 869. in templo S. Sophiae ceptum est hoc Concilium: praeter Legatos Apostolicos Donatum Ostiensem, Stephanum Nepesinum Episcopos, et Marinum Sanctae Romanae Ecclesiae Diaconum, aliosque Sedium Patriarchalium Vicarios juxta communem opinionem adfuere Episcopi 102, praeter Patritios eo missos ab Imperatore. Decenter pro more collocatis S. Cruce, et Evangeliorum libro, epistolae leguntur et Imperatoris ad Concilium, et Adriani II. ad Imperatorem. Legitur definitio Romanae Synodi sub Nicolao celebratae, qua anathema dicitur sicut contra Iconomachos, et alias haereses, ita et contra Photium; et quia conformis decisioni Orientalium Episcoporum super Ignatii depositione uno ore exclamarunt Patres = *Ecce audivimus sententiam Orientalium, sequentem et faventem judicio sanctissimi Papæ Nicolai, et convenimus in ea* = Haec peracta fuere a Patribus in prima sessione, in sequentibus vero usque ad decem, accersito Photio una cum suis fautoribus, lectis, et probatis anathematibus contra hos latis a Romanis Pontificibus Nicolao I. et Adriano II. omnibus eorum confutatis cavillationibus; ex iis nonnulli quia pœnitentiae libello misso a Romana Sede subscripsere, et subscriptum Ignatio Patriarchae tradidere suae dignitatis receptis insignibus suo

ordine sederunt in Concilio; alii Phocianae factioni pertinacius adhaerentes renuerunt se libello subscribere, ideo omnes cum ipso Photio anathemate feriuntur. Photium, declaratur, nunquam fuisse Episcopum rite et canonice electum, nec canonicas fuisse ordinationes ab ipso peractas, nec alia sacra ministeria exercita. Mittitur in exilium, attamen ambitiosus homo ab ipso exilio epistolis, et internunciis non cessat excitare in suum patrocinium sectarios sibi adhaerentes, et Bohanem Patritium suum occulte amicum, et protectorem.

Canones 27 editi sunt, quibus omnes haereses huc usque damnatae iterum anathematizantur cum Photio ejusque fautoribus. Statuuntur interstitia servanda in promotione ad sacros ordines, et multa alia praescribuntur relate ad disciplinam, et praesertim de libertate qua frui debet Ecclesia in electione, et promotione ad beneficia, omnesque alias dignitates Ecclesiasticas, et satis de hoc IV. Concilio Constantinopolitano OEcumenico VIII. Concluso jam ultima die Februarii anni sequentis.

§. IX.

DE CONCILIO LATERANENSE I. OECUMENICO IX.

Ecclesia ab Imperatoribus diu vexata tandem requievit, finem habuit Schisma, Clericorum cohibita est effrenata licentia, et simoniacum monstrum quod undique grassabatur, eva-

sit, erupit, et juxta Canonicas sanctiones digni ad Ecclesiastica beneficia promoventur.

Anno Domini 1122. ex pace inita inter Callistum II., et Imperatorem Henricum V. haec tam pretiosa bona fluxerunt. Inter conditiones paci adnexas potior fuit indictio Generalis Concilii, et reapse Concilium indictum fuit celebrandum in Ecclesia Lateranensi. Ei praefuit Callistus II. et juxta communiorem opinionem 300, et amplius Patres interfuere.

Q. 1. Quid actum sit a Patribus in hoc Concilio, quidquid decisum?

R. 1. Probata, et confirmata fuere conventa pacis initae inter Pontificem, et Imperatorem. Investituris abrogatis, reddita est Ecclesiae plena libertas in electione, et institutione beneficiorum, salvis tamen semper manentibus juribus Coronae, ut sic redditis Deo, quae sunt Dei, et Caesari, quae Caesaris sunt, firmissima stabiliretur concordia inter Sacerdotium, et Imperium.

2. Rescinduntur omnia acta Bardini Pseudo-Pontificis, per consequens irritas esse decernitur, tum omnes ordinationes a Bardino Antipapa factas, ex quo a Romana Ecclesia damnatus est, sicuti etiam illas, quae factae fuerunt ab Episcopis ab ipso consecratis.

3. Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, et Monachis sub gravissimis poenis interdicitur, habere concubinas, inire connubia, et decernitur irrita prorsus esse, et nulla si quae contracta fuerunt.

Ad restaurandam Ecclesiae disciplinam, ad tuenda Episcoporum, et Parochorum jura,

nec non Monachorum, editi fuerunt Canones 22, et sic Concilium hoc a Callisto II. convocatum anno Domini 1122 conclusum fuit anno 1123.

§. X.

DE II. CONCILIO GENERALI LATERANENSI

OECUMENICO X.

Q. 1. Quaenam convocationis hujus Concilii fuit praecipua causa, et occasio?

R. Anno Domini 1139 Innocentius II, qui Honorio II. successerat tum ad haereses damnandas, tum ad schismaticos reprimendos, ac depravatos mores corrigendos praedecessorum suorum exempla secutus, Romae universale Concilium indixit, et celebratum fuit in Ecclesia Lateranensi. Per se praefuit ipse Pontifex et ex universi Christiani Orbis partibus fere mille adfuerunt Patres.

Q. 2. In Ecclesia Romana quomodo hoc novum schisma suum habuit ortum?

R. Honorio II., Callisti secundi successore, e vivis jam sublato, major, saniorque pars Cardinalium in novum Pontificem elegit Gregorium Sancti Angeli Cardinalem Diaconum, qui nomen accepit Innocentii II. Reliqui Cardinales quoad numerum et meritum pauciores, elegerunt Petrum Leonis potentissimi civis Romani filium, cui Anacleti II. nomen dedere. Hoc mortuo schismatis fautores alterum elegerunt,

quem appellavere Victorem : at hic, Pontificalibus depositis vestibus, ad Innocentium secundum properavit, eumque ut verum, et legitimum Pontificem agnovit, sicuti ab Ecclesia uti talis semper agnitus fuit. Testatur hoc S. Bernardus haec scribens de Innocentio II. epistola 125. = Merito illum recipit Ecclesia, cujus opinio clarior, et electio sanior inventa est, nimirum eligentium numero vincens, et merito = Et sic per mortem primi Antipapae, et abdicationem secundi fuit extinctum schisma, et ex parte pax Ecclesiae reddita est.

Q. 3. Quaenam erant haereses quae eo tempore perturbabant Ecclesiam, et quinam eorum auctores, et propagatores?

R. Petrus de Bruis, et Arnaldus Brixiensis, qui Petri Abelardi discipulus fuerat, varios circa fidem disseminabant errores in Ecclesia Dei. Dicebant = Baptisma nihil prodesse parvulis: templa esse destruenda, confringendas Cruces, et alia impia similia; ideoque, ut hisce omnibus mederetur malis, convocatum est hoc Concilium Lateranense II.

Q. 4. Ut propositum effectum Patres attingerent, quid in hac sacrosancta Synodo per eos peractum sit, quidque definitum?

R. Rescissa fuere, et irritata omnia, et singula acta Petri Leonis Pseudo-Pontificis, lata in eum, et in omnes schismaticos fautores excommunicatione.

2.° Damnati cum suis haeresibus Petrus de Bruis, Arnaldusque Brixiensis una cum iis qui eorum adhaeserunt erroribus, ideoque dicti haeretici Petrobusiani.

3.° Ad restaurandam Ecclesiasticam disciplinam triginta Canones editi fuere. Tandem Concilio subjungitur epistola Innocentii II. mandans ut Petrus Abelardus, ejusque discipulus Arnaldus de Brixia perversorum dogmatum artifices, separatim in locis Religiosis includuntur, eorumque libri haeretici concrementur, et sic conclusum fuit hoc II. Lateranense Concilium OEcumenicum X. an. 1139.

§. XI.

DE III. LATERANENSI CONCILIO OECUMENICO XI.

Fridericus I. Germaniae Imperator dictus etiam OEnobarbus odio habebat Alexandrum III. legitimum successorem Adriani IV., et magno prosequebatur favore Victorem IV. a tribus dumtaxat Cardinalibus in Pseudo-Pontificem electum. Eamdem gratiam, eumdemque Imperatoris favorem post mortem Victoris experti sunt Paschalis III., et Callistus III. a Schismaticis in Antipapam, unus post alterum electi.

Bellum atrocissimum fervet per universam Italiam, et strenue dimicatur. Vincitur pars schismatica, et profligatur. Territus Fridericus tamquam novus Nabuchodonosor resipuit, et Venetiis ad pedes Alexandri III. provolutus, petiit veniam, et misericorditer obtinuit. Sic Ecclesiae reddita pace, Alexander anno Domini 1179

Romae generale indixit Concilium, vulgo dictum Lateranense III. cui per se praefuit ipse Alexander, et adfuerunt Episcopi 310.

Q. 1.° Quare fuerit ab Alexandro Romano Pontifice hoc congregatum generale Concilium?

R. Tribus de causis. I.° ad damnandos Schismaticos 2.° ad damnandas tunc in Occitania, et Equitania grassantes Catharorum Waldensium et Albigensium haereses 3.° ad restituendam Ecclesiae disciplinam ab usibus collapsam.

Q. 2.° Quid igitur ad hoc obtinendum Patres una cum Alexandro gerunt?

R. 1.° Ad futura vitanda schismata summorum Pontificum, electionis occasione statuit summus Pontifex Alexander, ut nullus haberetur summus Pontifex Romanus, qui non esset a duabus tertiis Cardinalium partibus electus, resciditque ordinationes omnes a schismaticis Pseudo-Pontificibus Octaviano, Guidone, et Joanne, vel ab aliis per eos ordinatis effectas.

2.° Anathematizavit haereticos omnes, illosque qui cum illis communicassent; vel auxilium eis quocumque modo praebuissent.

3.° Quia tunc vigebat in Ecclesiis et Monasteriis Simonia, in Clericis fastus, et avaritia, in Laicis usura, in beneficiorum collationibus injustitia, et ad haec omnia firmanda Canones 27 editi fuere, et sic hoc undecimum generale Concilium conclusum fuit.

§. XII.

DE IV. GENERALI LATERANENSI CONCILIO OECUMENICO XII.

Zelo Romanorum Pontificum, et Christianorum Regum pietate Jerusalem Civitas Sancta, ob Mysteria nostrae sacrosanctae Religionis, ibi peracta, pluries e manibus Saracenorum erepta fuerat. Sed inescrutabili divino consilio iterum, atque iterum hostes Christi, et Christiani nominis ea potiti sunt. Statim ac Innocentius III. vir doctrinae virtutumque splendore spectabilis ad Cathedram Petri evectus est, animum ad Terrae Sanctae recuperationem adjecit. Hoc suum laudabile disiderium valde percrebuit victoria, qua Latini sacro bello foederati Constantinopoli potiti fuere. Anno Domini 1125 Romae indixit generale Concilium, quod fuit Lateranense IV.

Congregantur Patres numero fere 1000 in in Basilica Constantiniana, et adfuerunt etiam multorum Regum, et Principum tam Orientalium, quam Occidentalium Legati, atque Oratores. Praefuit per se ipse Innocentius Romanus Pontifex qui et eleganti et pio sermone Concilium aperuit.

Q. 1.° Desiderium recuperandi loca Sancta, fuit nec ne tantum causa hoc convocandi Concilium?

R. Minime, sed etiam alia peragendi negotia, quae dogmata Catholicae Fidei respiciebant, nec non Ecclesiasticam disciplinam.

Q. 2.° Relate ad haec quid igitur fuit sancitum?

R. 1.° Contra varios haereticorum errores explicata est Catholicae Ecclesiae fides, damnatae sunt Albigensium haereses, damnatus es Abbatis Joachimi de unitate seu essentia Trinitatis Libellus contra Petrum Lombardum, sed non ejus damnata persona, quia non obstinata, sed Ecclesiae Catholicae submissa: damnata quoque sunt perversa impii Almarici Carnotensis dogmata, viri nedum haeretici, sed ita insanientis, ut Infernum, et Paradisum negaret; nec aliter Corpus Christi esse in pane altaris, quam in alio quocumque blasphemaret; Deumque sic in Ovidio, sicut in Augustino locutum assereret; aliaque similis impietatis non pauca. Et ideo nedum anathamate percussus, sed etiam Lutetiae Parisiorum jussu Regis ossa ejus effossa, flammis tradita fuere.

2.° Decreta est postea ad Terram Sanctam expeditio sacra, variis privilegiis et indulgentiis ad eam properantibus benigne concessis.

3.° Varia tandem pro restauranda Ecclesiae disciplina constituta decreta, et ideo septuaginta Canones editi fuere tam ad Clericorum licentiam coercendam, tam ad tuendam libertatem Ecclesiae in beneficiorum collatione. In hoc Concilio receptus est, approbatus, et confirmatus Seraphicus Ordo FF. Minorum Sancti Francisci, sicuti etiam receptus Ordo Patrum Praedicatorum qui post annum defuncto Inno-

centio ab Honorio III. approbatus, et confirmatus fuit.

Sic Concilium hoc incohatum die 11 Novembris Sancto Martino Sacra, die 3o. ejusdem Mensis sacra Sancto Andreae Apost. feliciter fuit conclusum.

§. XIII.

DE I.° CONCILIO GENERALI LUGDUNI CELEBRATO OECUMENICO XIII.

Immemor Fridericus II. beneficiorum quibus ab infantia affectus fuerat ab Apostolica Sede: de Fide non bene sensiens, nimis vexabat Ecclesiam, populosque Papae subjectos, Episcopos et Cardinales carceribus mancipabat. Eo tempore in Italiae perniciem cum Guelphorum, et Gibellorum factiones erupissent, Fridericus, cujus erat nascentem flammam extinguere, augebat potius, sibi adjunctis Gibellinis, vertit arma in Guelphos, qui stabant pro Pontifice: ex factionibus hisce acriter inter se pugnantibus innumera exorta sunt mala. Depravatio morum, caedes, incendia, captivitates, omnesque hostiles immanitates undique grassabantur.

His luctuosis ut occurreret calamitatibus Innocentius IV. qui ad Cathedram Petri regendam evectus fuerat, aequissimis propositionibus pacem petiit a Friderico, sed frustra, ideoque ut hominis temeritatem reprimeret, Ecclesiae-

que bonis consuleret, anno Domini 1245 generale indixit Concilium Lugduni. Ei praefuit ipse Innocentius Romanus Pontifex, et interfuere tres Patriarchae videlicet C. P. Antiochenus, et Aquilejensis, Episcopi vero 140, multorumque Principum Oratores.

Ipse Fridericus citatus cum renuisset personaliter accedere, misit Thaddaeum suo nomine responsurum.

Q. 1.° Quaenam sunt ea, quae in hoc Concilio pro bono Ecclesiae peracta fuerunt?

R. 1.° Sedulo explorata causa Friderici, Innocentius de Synodi sententia eum anathemizavit atque a fidelium communione dejecit, Imperiique dignitate, et Siciliae Regno privavit.

2.° Renovatum est decretum de sacra in Saracaenos Cruciatorum expeditione pro terra Sancta recuperanda, duce S. Ludovico Francorum Rege.

3.° In hoc Concilio, dicitur, datam esse Cardinalibus facultatem pileo utendi rubro in signum constantiae pro Fidei defensione usque ad sanguinis effusionem.

Multa etiam decreta edita sunt pro restauranda Ecclesiastica disciplina valde tum labefactata, et collapsa. Sic Concilium hoc incohatum Lugduni die Lunae post festum S. Joannis Baptistae 1245 conclusum fuit sub fine mensis Augusti ejusdem anni.

§. XIV.

DE CONCILIO LUGDUNENSI II.°

ANNO DOMINI

1274.

OECUMENICO XIV.

Q. 1.° A quo Pontifice, et qua occasione fuerit hoc indictum Concilium?

R. Post mortem Clementis IV. discordia Cardinalium per biennium, et menses novem fuit Ecclesia Romana suo viduata Pastore.

Tandem per compromissum a sex Cardinalibus compromissariis, hortatu etiam S. Bonaventurae in novum Pontificem Viterbii electus fuit Theobaldus Placentinus Leodiensis Ecclesiae Archidiaconus, vir morum, sanctitate clarus, qui tunc degebat in Syria una cum sacro exercitu in Saracenos. Rediens nomen assumpsit Gregorii, et sic fuit Gregorius X.

Hic Pontifex Zelator Fidei, et veritatis amator, timens ne latius serperent renascentes Graecorum errores, sciens quanto in discrimine essent res Christianorum in Syria et aliunde cernens corruptos Fidelium mores, collapsamque Ecclesiae disciplinam hoc indixit Lugduni generale Concilium anno Domini 1274.

Q. 2.° Quisnam praefuit in eo, quotque adfuerunt Patres, Principumque Legati, et Oratores?

R. Ipse Romanus Pontifex Gregorius X. per seipsum praefuit: adfuerunt quinque Cardinales, Patriarchae duo C. P. et Antiochenus, Archiepiscopi 70, Episcopi 500, multi Abbates, aliique non pauci inferiores Praelati.

Viri doctrinae et vitae sanctitate praestantes fuerunt etiam vocati. S. Thomas Aquinatis eo non pervenit, quia per viam morte praeventus. Pervenit S. Bonaventura, et ibi creatus est Cardinalis, et Episcopus Albanensis; at decursu ipsius Concilii animam et ipse Deo reddidit.

Venerunt etiam Principum Legati, et Oratores, et ceptum est Concilium die 7 Maji 1274.

Q. 3.° Ad consulendum Ecclesiae, ad ineundam Graecorum unionem cum Latinis, et ad coadjuvandos Christianos pugnantes in Syria contra Turcas quidnam decretum fuit a Patribus in hac sacrosancta Synodo?

R. 1.° Sancitur quo ritu procedendum est in electione Romani Pontificis. Renovantur statuta in Concilio Lateranensi III. Insuper eligentium Cardinalium praecipitur clausura conclavis, interdicitur omnis communicatio tam per litteras, quam per internuncios, et alia multa praecipiuntur uti refertur in cap. *ubi periculum* in 6. et haec omnia, ut quam primum universali Ecclesiae novus redderetur Pastor, quia compertum est ejus deficientiam Fidei, moribus, et disciplinae noxium esse permultum.

2.° Legati Graecorum una cum Oratore Imperatoris Palaeologi recipiuntur: Georgius Acropolita nomine omnium schisma ejuravit;

Romanae Ecclesiae fidem professus est, cjus primatum agnovit, et juramento promisit, nunquam nec se, nec Imperatorem, nec caeteros suae nationis a Fide et obedientia esse recessuros, idemque praestitere caeteri Graecorum Praelatorum Legati. Hisce ita feliciter peractis cantatur Symbolum Fidei primum latine a Patribus Latini incipiente Papa, dein autem graece a Patribus Graecis incipiente Graecorum Patriarcha cum additione *qui ex Patre Filioque procedit* ter repetita. Tandem cantatur *Te Deum laudamus*.

3.° Ad sublevandos, qui in Syria pro recuperatione Jerusalem militabant omnibus annuentibus Patribus. Romanus Pontifex Gregorius decrevit impendi decimas redditiuum Ecclesiasticorum omnium usque ad sex continuos annos.

Multa alia praescripta sunt et ad reformandos mores praesertim Clericorum, et ad dirigendas electiones ad beneficia Ecclesiastica; et sic conclusum est Concilium hoc die 17. Julii ejusdem anni 1274.

§. XV.

DE GENERALI CONCILIO VIENNENSI OECUMENICO XV.

Q. 1.° Quo anno, sub quo Pontifice, et quibus de causis fuit hoc congregatum Generale Concilium?

R. Anno Domini 1311. a Clemente V. hoc fuit congregatum Concilium Viennae in Gallia quatruplici de causa, videlicet 1.° ad estinguendum Templariorum Ordinem.

2.° Ad damnandos errores Fraticellorum, Begardorum, et Beguinarum. 3.°. Ad providendum Terrae sanctae de subsidio. 4.° denique ad formandos Ecclesiae mores.

Q. 2.° Quisnam huic Concilio praefuit, quotque Patres interfuere?

R. Ipse Romanus Pontifex Clemens V. per se ipsum praefuit; venere autem ad illud Cardinales permulti, Patriarchae duo, Alexandrinus videlicet, et Antiochenus, Episcopi tercentum, Regesque plures. Concilium biennio ante, hoc est anno 1309. indictum, inchoatum fuit die 16 Octobris anni 1311, et in prima sessione causas convocationis Patribus exposuit Romanus Pontifex.

Q. 3.° Quid a Patribus sancitum fuit relate ad causas pro quibus ipsum est congregatum Concilium?

R. 1.° Templariorum ordinis suppressio, et omnimoda annihilatio decreta est, universali approbante Concilio. Hic ordo a principio valde utilis fuerat Ecclesiae, nam armis Templarii fines tuebantur Christianae dictionis: latrocinia, et incursiones infidelium inhibebant in Christianos ad loca Sancta peregrinantes, et multa alia laudibilia peragebant. Dein vero immensis opibus aucti, moribus in deteriora mutatis, eo nequitiae prolapsi sunt, ut occulta cum Saracenis faedera inirent, seque omni genere pietatis, et nefandae libidinis contaminarent; quare

merito scissus est eorum ordo, cujus bona equitibus Melitensibus adjudicata fuere.

2.° Damnati atque anathematizati fuere una cum omnibus suis fautoribus errores Fraticellorum, Begardorum, et Beguinarum. Isti sub aspectu austeritatis, pietatis, et altissimae contemplationis jactitabant, jam acquisivisse veram libertatem filiorum Dei, ac per consequens nullis subicere legibus tam civilibus, quam Ecclesiasticis. In locis abditis promiscuos illicitos concubitus habebant asserentes, id nullam involvere culpam, quia actus erant, ad quos natura ipsa impellebat, et his erroneis innixi principiis omni libidinis genere se contaminabant.

3.° De subsidio Terrae sanctae fuit deliberatum, ad quod ferendum exhibuit se Philippus Pulcher Rex Christianissimus, et promisit, se infra annum cum liberis, fratribus, ingentique Procerum, ac Nobilium numero transfretaturum; Gallicani vero Praesules Decimas ad sexennium ad hoc sacrum perficiendum opus concesserunt, quod probatum fuit a Pontifice, et Concilio.

4.° Ad reformandos mores praesertim Clericorum, ad impediendas usuras, et ad restaurandam Ecclesiasticam disciplinam multae constitutiones aeditae fuere. Festivitatem Corporis Christi jam ab Urbano IV. institutam, in hoc Concilio decretum est, celebrandam Feria quinta post octavam Pentecostes.

Sic Concilium hoc incohatum die 16 Octobris anni 1311. pridie nonas Maji sequentis anni feliciter fuit conclusum.

§. XVI.

DE CONCILIO PISANO HABITO ANNO 1409. OECUMENICO XVI.

Tria sunt Pisis celebrata Concilia, unum videlicet anno 1134; alterum 1409; tertium denique anno 1511. Hic nec de primo, nec de tertio, sed tantum de secundo sermo erit, convocato ad tollendum duorum Pontificum schisma, scilicet Petri de Luna nomine Benedicti XIII, et Angeli Corarii qui Gregorius XII. dicebatur Isti cum diu de supremo contenderent Pontificatu neuterque pro Ecclesiae bono cedere vellet, licet uterque id, sua in electione facturum jurasset; Cardinales Pisas venere, et a suo recedentes Schismatico Papa, ut tanto mederentur Ecclesiae malo, anno Domini 1409. generale indixerunt Concilium ibi habendum.

Convenere praeter 24. Cardinales praesentes, tres Orientalis Ecclesiae Patriarchae, Alexandrinus, Antiochenus, et Jerosolimitanus, Episcopi 300, Principum, et Universitatum Legati, et innumeri alii inter Abbates, Superiores Monasteriorum, Doctoresque viros.

Duo contendentes de Papatu Benedictus XIII, et Gregorius XII. et ipsi vocati fuere; sed neque per se, neque per alium comparentes, sunt communi Patrum suffragio contumaces declarati, damnati ut schismatici, perjuri,

et haeretici, suoque è praetenso Pontificatu dejecti.

Die 15. Junii post Missam solemniter celebratam Cardinales numero 24. Conclave sunt ingressi, et in novum Pontificem elegerunt Petrum Philaretum Cardinalem, et Mediolanensem Archiepiscopum, qui dictus fuit Alexander V. Hic, promulgato electionis decreto, praefuit Concilio usque ad finem. Gesta in eo confirmavit, ejus probavit decreta, caeteraque omnia laudavit, uti constat ex speciali ejus diplomate, cujus verba hic referuntur. =

» De Concilio venerabilium fratrum nostro-
» rum S. R. E. Cardinalium praedicatam sen-
» tentiam, et omnia alia, et singula, quae
» per Concilium hujusmodi, pro tollendo schis-
» mate, et reintegratione, memorata facta fue-
» runt, utpote provide, et tantorum venerando-
» rum Patrum, imo universalis Ecclesiae con-
» sensu, et concordia facta, rata habentes, et
» grata, ea, anctoritate Apostolica, ex scientia
» approbamus, et praesentis scripti patrocinio
» communimus, decernentes non minoris exi-
» stere vigoris et firmitatis hujusmodi senten-
» tiam, nec non omnia, et singula acta in
» eodem generali Concilio in hac parte, quam
» fuerunt, et sunt alia Concilia in diversis ar-
» duis negotiis ipsius Ecclesiae celebrata. =

§. XVII.

DE CONCILIO GENERALI CONSTANTIENSI,

OECUMENICO XVII.

Depositis per Concilium Pisanum, de Papatu contendentibus Petro de Luna, et Angelo Corario, non per hoc extinctum est Schisma, sed potius auctum. E vivis sublato Alexandro V. et in novum Pontificem electo Joanne XXIII, pseudo-Papae antea mutuo infense jam simul conspirabant ad tuendam singuli, quam possidebant, dignitatem, quod maximae perniciei, et damni erat Ecclesiae.

Q. 1.° Quid ad tot tantaque mala profliganda egit novus Pontifex Joannae XXIII?

R. Anno Domini 1414 Joannes XXIII. indixit Constantiae Concilium generale. Ei interfuere Patres fere mille, e quibus 300. fuere Episcopi, et Patriarchae 4. cum ipso Imperatore Sigismundo. Initio Concilii, ut legitimus Pontifex duabus prioribus sessionibus praefuit Joannes XXIII. Post ejus è Concilio recessum, tertiae praefuit sessioni Petrus de Alliaco Cardinalis Cameracensis: quartae vero Jordanus Albensis Episcopus Cardinalis de Ursinis; ceteris usque ad Martini V. electionem praefuit Joannes Episcopus Ostiensis, Cardinalis Vivariensis; et quatuor ultimis praefuit recens electus Martinus V. Ceptum est Concilium die 5 Novem-

bris, anno 1414, et tandem post quatuor annos et sex menses, die 22. Aprilis, anno Domini 1418. quadraginta, e quinque sessionibus fuit conclusum.

Q. 2.° Quid per recensitas sessiones fuit in hoc Concilio sancitum?

R. Joannes XXIII. ante altare ut pacem daret Ecclesiae, vovit, atque juravit, se, abdicantibus Benedicto XIII, et Gregorio XII, dimissurum Pontificiam dignitatem, ut postea fidem non praestavit. Mentito habitu aufugit Scafusium.

Hisce, aliisque criminibus jam probatis, a Papatu deponitur, et ut honeste custodiatur, traditur Sigismundo Imperatori, et interim in novum Pontificem canonice eligitur Odo Columna Cardinalis tituli I. Georgii in Velabro, qui sibi nomen indidit Martini V.

Joannes, sive elusis, sive corruptis custodibus, denuo dilabitur, ad Martinum confugit, et ad ejus pedes provolutus veniam petit, probat omnia usque tunc in Concilio peracta; idem fecit etiam Gregorius XII, ac per consequens benigne excepit eos Romanus Pontifex, et cum omnibus honoribus, et Ecclesiasticis proventibus inter Cardinales recepit. Horum exemplum non est secutus Benedictus, sed semper sua Pontificia jura reclamans, pertinax in errore extremum clausit diem postquam per annos triginta illam umbratilem dignitatem ingenti Ecclesiae damno produxisset; attamen tunc pro tunc extinctum Schisma non fuit. Mortuo Benedicto, tres Cardinales praesentes, Schismatis fautores in ejus locum elegerunt Clementem VIII.

Hic divino illustratus lumine post aliquod tempus suam dimisit dignitatem, et sic post annos circiter quinquaginta reddita pax fuit Ecclesiae.

Q. 3.° Quid aliud in hoc Concilio fuit pro Ecclesiae bono peractum praesertim contra haereticam pravitatem?

R. Hussitarum haeresis, quae tota Bhoemia invaserat, fuit etiam cordi Patribus Constantiae Synodi.

Joannes enim Hus Sacerdos Joannis Wiclefli Angli libros, et errores per Bohemiam disseminavit; novis etiam adjunctis, quos omnes sacra Synodus execrata est. Joannes Hus flammis addictus est.

Par quoque sequenti anno supplicium tulit Hieronymus Pragensis earumdem haeresum acerrimus propugnator. Inter Hussitarum insigniores haereses Constantiae proscriptas hae recensentur. Hostiam consecratam esse vere materialem panem; Christi vero Corpus non esse in Eucharistia concipiendum, nisi figurativa locutione. Confessionem ad aurem nihil esse quam hominum inventum. Papam Romanum esse verum Antichristum. Neque Regem, neque Principem ullum, neque Episcopum, neque Magistratum, neque Sacerdotem esse, nisi nomine tenus, dum est in mortali peccato. Posse, et debere quemcumque tyrannum a quocumque subdito interimi. Impium inventum, et Evangelio contradicens esse communionem in solo pane, excluso calice. Ecclesiam non costare, nisi ex solis praedistinatis.

Hi omnes a sacrosanta Synodo damnati, atque anathematizati fuerunt errores, et insuper

decretum, ut juxta veteris Ecclesiae consuetudinem a conficientibus susciperetur Eucharistia sub utraque specie; a Laicis vero sub panis dumtaxat, cum firmissime credendum sit integrum Christi Corpus, et Sanguinem tam sub specie panis, quam sub specie vini veraciter contineri, et aliter sentientes [a]rcendos tamquam hereticos, et graviter puniendos.

Post hoc OEcumenicum Concilium a Martino V. indictum fuit Concilium Basiliense, quod tamen ob scissuras in eo exortas a gravioribus auctoribus OEcumenicum non habetur. Legitimum fuit a principio, et tenendum tanquam sequela Concilii Constansiensis. Multae sessiones in eo habitae sunt, sed in iis statutae partim probatae fuere, partim vero non.

In hoc etiam Concilio actum est de Immaculata Beatae Mariae Deiparae Conceptione, et sententia affirmans immaculatam fuisse, declarata est pia, sancta, cultui Ecclesiastico, fidei Catholicae, recte rationi, sanctae scripturae consona, ideoque tenenda, et altera negans praedicari vel doceri vetita, et ejusdem sanctae Conceptionis festivitatem sexto Idus Decembris celebrari decretum fuit.

Eugenius IV. qui rite, et canonice electus Martino V. jam e vivis sublato successerat, suo Pontificio decreto Concilium Basiliense, de consilio, et consensu Cardinalium, et Archiepiscoporum, et Episcoporum transtulit Ferrariam. Infesto animo id nonnulli ex coadunatis tulere, et pertinaciter contra Pontificis sententiam adhuc Basileae conciliares habuerunt;

sessiones è Pontificatu Eugenium deposuere eligentes in novum Pontificem Amadaeum a Sabaudia Eremitam, qui Felicis V. nomen assumpsit; verum hic ut pacem redderet Ecclesiae sponte dimisit Anti-Papatum, ad suumque rediit Eremum. Ferrariae, grassante lue, omnibus colluentientibus, Concilium ab Eugenio Florentiam translatum fuit anno Domini 1438.

§. XVIII.

DE CONCILIO GENERALI FLORENTINO OECUMENICO XVIII.

Q. 1.° Quisnam praefuit Concilio, quot, et qui advenerunt ad illud, et quid actum sit in eo?

R. Anno Domini 1438, praesidente ipso Eugenio IV. Florentiae hoc celebratum est Concilium, cui praeter 141 Episcopos, interfuit Joannes VIII, Paleologus Graecorum Imperator cum Demetrio fratre Peloponnensi Principe, Josepho C. P. Patriarcha, aliisque magni nominis ex Oriente Antistibus, et doctis viris.

Per tot annos scissa inconsutili veste Christi, idest Ecclesia, cordi fuit Pontifici Orientalis Ecclesiae unio cum Ecclesia Occidentali, ut sicut est unus Pastor Christus Dominus, unum esset et Ovile.

Q. 2. Quid ad hoc obtinendum peractum fuit in Concilio?

R. 1. Privatis colloquiis id petente Palaeologo Grecorum Imperatore, inter Latinos, et Graecos multiplices habitae sunt disputationes de punctis praecipue inter eos controversis scilicet 1.° de Processione Spiritus Sancti a Patre, et Filio 2.° De additione particulae *Filioque* ad Symbolum. 3.° De azymi, vel fermentati panis usu pro materia Sacrificii. 4.° De Purgatorio. 5.° De Romani Pontificis primatu.

Continuatae in eo sunt disputationes, et tandem feliciter conclusum. Graeci suos deponentes errores convenere cum Latinis de Processione Spiritus Sancti; de additione particulae *Filioque*, caeterisque omnibus controversis capitibus et ita die 6 Julii 1439 secutum est decretum unionis utriusque Ecclesiae, cujus initium est. =

» Laetentur coeli, et exultet terra: sublatus est, enim de medio paries, qui Occidentalem Orientalemque dividebat Ecclesiam, et pax atque concordia rediit etc. =

Venerunt Armenorum Patriarchae legati, et post varias disputationes, collocutiones, et tractatus eorum Fide circa omnes veritates, quas Ecclesia Catholica tenet recte probata, decimo Kalendas Decembris ejusdem anni unionis inter Armenam Ecclesiam, et Latinam sancitum est decretum, quod incipit. =

» Exultate Deo adjutori nostro jubilate Deo » Jacob omnes qui ubique nomine censemini » Christiano. Ecce enim iterum recordatns Do» minus misericordiae suae, alium dissidii lapi» dem, nongentis, et amplius inveteratum an» nis, de Ecclesia sua auferre dignatus est; et

» qui facit concordiam in sublimibus, et per
» quem in terra pax est hominibus bonae vo-
» luntatis, optatissimam Armenorum unionem
» sua ineffabili miseratione concessit benedictus
» Deus, et Pater Domini nostri Jesu Christi,
» Pater misericordiarum, et Deus totius con-
» solationis, qui consolatur nos in omni tribu-
» latione nostra etc.

Graecorum, et Armenorum peracta unione cum Latinis, Andreas Abbas Monasterii S. Antonii in Ægypto Orientalium Jacobitorum Patriarchae Legatus venit, et nomine tam suo quam suorum, emissa Fidei professione, unionem humiliter petiit cum Ecclesia Romana, et obtinuit. Pridie nonas Februarii anni 1441, Eugenius IV. de hac unione edidit decretum, incipitque sic. = » Cantate Domino quoniam
» magnifice fecit: annunciate hoc in universa
» terra. Exulta et lauda habitatio Sion, quoniam
» in medio tui Israel Sanctus. Cantare profecto,
» et exultare in Domino decet Ecclesiam Dei
» pro hac grandi magnificentia, et gloria nomi-
» nis sui, quam hodierna die clementissimus
» Deus operari dignatus est.

» Ecce enim nondum exacto triennio in hac
» Sancta oecumenica Synodo saluberrimam tri-
» um magnarum nationum unionem Dominus
» noster Jesus Christus, pro sua infatigabili pie-
» tate ad commune perenneque totius Christia-
» nitatis gaudium tam copiose effecit.

Post haec aliud etiam unionis decretum edidit Eugenius pro Æthiopis, Syris, Chaldaeis, et Maronitis, qui missis Legatis, suos in fide abjurantes errores ardenter, et supplici-

ter postulabant unum efformare mysticum Corpus Christi cum Ecclesia Romana, eorumque fuit votis satisfactum. Unde actum est, (» sunt » verba Decreti Eugenii) ut totus fere Oriens, » qui gloriosum Christi nomen adorat, ac non » parva Septemtrionis portio, post longa dissi» dia cum Sancta Romana Ecclesia in eodem » fidei et charitatis vinculo convenerint primum » etenim Graeci, et hi qui subsunt quatuor » Patriarchalibus sedibus, multas gentes, na» tionesque, et idiomata continentibus; deinde » Armeni multorum populorum gens; hodie » vero Jacobiti, magni etiam per Ægyptum po» puli, sanctae Sedi Apostolicae uniti sunt, etc.

§. XIX.

DE CONCILIO LATERANENSI §. V. OECUMENICO XIX.

Q. 1.° A quo, et qua de causa indictum fuit hoc generale Concilium?

R. A Julio II. anno Domini 1512 contra Conciliabulum Pisanum, quod nonnulli ex Cardinalibus indixerunt contra ipsum Julium legitimum, ac verum Pontificem. Conciliabulum hoc non est idem ac illud quod anno 1409 etiam Pisae habitum fuit ad tollendum Schisma Gregorii XII., et Benedicti XIII. disputantium de Papatu, de quo supra egimus adnumerantes illud inter oecumenica ex sententia jam recepta apud auctores saniores, et magni nominis.

Julius II. eleganti sermone habito ad Patres die 10 Maji, Laterani aperuit Concilium;

at morbo correptus decessit e vita. Leo X. ejus loco electus est in Pontificem, et hic praefuit huic Sacrosantae Synodo usque ad finem.

Q. 2.° Quot Patres adfuerunt Concilio, quidque in eo fuerint peractum?

R. Undique vocati fuerunt Praelati, sed adfuerunt tantum Episcopi 114 praeter Principum Oratores, Abbates, Viros in Theologicis facultatibus Doctores, Ordinumque Religiosorum multos Generales. Sequentia autem sunt, quae in Concilio peracta fuere.

1.° Damnatum, atque reprobatum fuit Conciliabulum Pisanum una cum omnibus actibus ejus.

2.° Pragmatica sancto fuit abrogata ejusque in locum substituta fuerunt pacta concordata inter Leonem X., et Franciscum Galliarum Regem, et hac occasione sancitur Romanum Pontificem pro tempore existentem tamquam auctoritatem super omnia Concilia habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum plenum jus, plenamque potestatem habere.

3.° Cardinales Carvajal, et Fridericus do S. Severino simplici clericali habitu induti ad pedes Pontificis provoluti abjurato schismate coram frequenti Concilio veniam petierunt, et pristinae dignitati sunt restituti.

4.° Definitum est, animam hominis immortalem esse, atque in pluribus hominibus non unam sed plures animas esse, et Philosophiae Professoribus ideo mandatum, ut Ethnicorum principia, conclusiones, et argumenta, quibus a veritate discrepant, fideliter explicent, eorumque sophismate solvant.

5.° Notantur, et stricte prohibentur multi defectus, in quos diversi concionatores, officii sui immemores prolabantur, et cum ipsis incumbat populum edificare, virtutes inserere, vitia evellere, Deum praedicare, ejusque gloriam promovere, praedicant semetipsos, et non Jesum Christum Crucifixum.

6.° Per Legatos virtute, et doctrina eximios a Pontifice de consilio electos Pax, et concordia reddita est inter Christianos Principes, qui ante hac inter se acriter pugnabant.

7.° Decernitur expeditio contra Turcas, pro qua fructibus Ecclesiarum, et beneficiorum ad triennium decimae imponuntur.

Tandem puerorum Magistris mandatur, ut eos non tantum bonarum literarum, verum etiam Fidei, Religionis, bonorumque morum doctrina informent, eosque festivis diebus nihil aliud doceant, quam quae ad Religionem, vel bonos mores spectant.

Sic Concilium istud, quod fuerat incohatum die 10 Maji 1512; feliciter conclusum fuit die 13 Martii 1517.

§. XX.

DE

TRIDENTINO GENERALI CONCILIO

OECUMENICO XX.

Martini Lutheri grassabantur in Germania pestiferi errores, et in toto fere septemtrione fervebant haereses. Undequaque penitus collapsa erat Ecclesiae disciplina, et currupti ubique

erant fidelium mores; Paulus III, qui defuncto Clemente VII. ei in Pontificatu successerat, zelans decorem Domus Dei, hoc est, Ecclesiae cupidus evellendi zizaniam ab agro Evangelico, Mantuae primo, deinde Vicentiae OEcumenicum Generale Concilium indixit; sed nonnullis emergentibus obstaculis hoc sacrosanctum convocavit Concilium Tridenti anno Domini 1545, et 13 Decembris die sacra S. Luciae Virgini et Martyri. Haec sacrosanta Synodus, quanta desiderari poterat cura, et solicitudine sapientissimis Decretis providit tot tantisque malis, plusquam reliqua omnia, quae praecesserunt Concilia: quare jure merito dici potest Tridentinum Concilium esse copiosissimam escam, promptuarium celeberrimum, et ditissimum thesaurum totius Ecclesiae tum ad Fidei articulos elucidandos, tum ad mores reformandos, tum ad sacram disciplinam plene instaurandam.

Q. 1.° Quisnam huic praefuit Concilio, et quot in eo interfuere Patres?

R. Praefuit ipse Paulus III. non per se, sed per suos Apostolicos Legatos Joannem Mariam de Monte, Marcellum Cervino, et Reginaldum Polo S. R. E. Cardinales.

Paulo defuncto, in ejus successorem eligitur Julius III; et hic etiam per suos Legatos Cardinalem Crescentio, Sebastianum Pinghnio Archiepiscopum Sipontinum, et Aloysium Lippomano Veronensem Episcopum Tridentino praeest Concilio resumpto anno 1551.

E vivis sublato Julio, post Marcellum II et Paulum IV. Pius IV. eligitur in novum Pon-

tificem, cujus auctoritate, anno Domini 1562, tertio convocatur Concilium Tridentinum cui tanquam Apostolicae Sedis legati praefuere Hercules de Mantua, Hieronymus Seripando, Stanislaus Varmensi, et Ludovicus Simoneta S. R. E. Presbyteri Cardinales.

Modo plures, modo minores juxta varias temporum injurias ex toto Christiano Orbe Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Superiores Religiosorum Ordinum, Theologi Doctores ad hoc accurrebant. Bella vero fervebant, inimicorum insidiae tendebandur, minabantur vitae hominum pestiferi morbi, qua de re pluries intermissum hoc Sacrosanctum Concilium resumitur, et tantem feliciter fuit conclusum.

Q. 2.° Quot in hoc Concilio sessiones habitae fuere, quidque in eis fuit decretum?

R. Decem sub Paulo III., sex aliae sub Julio III., novem autem sub Pio IV., in unum sessiones 25 fuerunt celebratae. Quid autem in unaquaque gestum fuerit, relate ad notabilia, et ad ea, quae scitu necessaria sunt., annexa brevis historia docebit.

Sub Paulo III. Romano Pontifice.

In 4 Sess. habita die 8 Aprilis anno 1546 duo edita fuerunt decreta; Primum de libris Canonicis, et Sacris Traditionibus, quo declarat sancta Synodus.

» Se suscipere (sunt verba Concilii) omnes
» libros tam veteris quam novi Testamenti,
» nec non Traditiones ipsas tum ad Fidem,
» tum ad mores pertinentes, tamquam vel
» oretenus a Christo, vel a Spiritu Sancto dicta-
» tas, et continua succeessione in Ecclesia Ca-

» tholica conservatas pari pietatis affectu ac re-
» verentia.

Alterum damnat corruptelam Typographorum in edendis Scripturis, et licentiam eas interpretandi. Quibus ut occurrat abusibus Sacrosancta Synodus haec tria in suo decreto praecipue decernit.

1.° Scripturae versionibus Latinis variis, Vulgatam pro authentica declarat habendam, ita ut eam nemo quovis pretextu rejicere audeat.

2.° Prohibet ut nemo Scripturam Sacram ad improprium detorqueat sensum, aut etiam contra unanimem SS. Patrum consensum interpretari praesumat.

3.° Denique statuit atque vetat, ut nullus deinceps de rebus sacris imprimatur liber sine Ordinarii licentia, et sine expresso auctoris nomine, sub poena anathematis.

In 5.ª sess. habita die 17 Junii ejusdem anni, decretum fuit de peccato Originali, et quinque complectitur Canones, quorum

Primus anathematizat eos, qui primum hominem Adam per transgressionem divini mandati totum secundum corpus, et animam in deterius commutatum fuisse non confitentur.

Secundus in eos anathema fert, qui Adae prevaricationem ipsi soli, et non ejus propagini nocuisse asserunt; aut mortem dumtaxat, et poenas corporis in omne genus humanum transfudisset, non autem peccatum.

Tertius eos anathemate ferit, qui Adae peccatum, quod origine unum est, et propagationem, non imitatione transfusum, omnibus inest unicuique proprium, vel per humanae

naturae vires, vel per aliud remedium asserunt tolli, quam per meritum unius mediatoris Domini nostri Jesu Christi; aut negant ipsum Jesu Christi meritum per baptismi Sacramentum in forma Ecclesiae rite collatum tam adultis, quam parvulis applicari.

Quartus illis anathema dicit, qui parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negant, etiam si fuerint a baptizatis parentibus orti; aut dicunt in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere Originalis peccati, quod regenerationis lavacro necesse fuerit expiari ad vitam aeternam consequendam.

Quintus denique anathematizat eos, qui per Jesu Christi gratiam, quae in baptismate confertur, reatum Originalis peccati remitti negant; vel asserunt non tolli totum id quod veram, et propriam peccati rationem habet, sed illud tantum radi, aut non imputari, eosque, qui sentiunt concupiscentiam ideo a Paulo Apostolo peccatum dici, quod vere, et proprie in renatis peccatum sit.

Sancta Synodos definivit, Concupiscentiam peccatum dici, quia ex peccato est, et ad peccatum inclinat, nec posse nocere ei, qui per Jesu Christi gratiam viriliter resistit.

Insuper declaravit, ubi de peccato Originali agitur non comprehendere in suo decreto beatam, et immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem; sed statuit servandas esse relate ad id constitutiones Sixti IV.

In hac sessione decretum etiam fuit in singulis Cathedralibus adesse debere Theologum

pro lectione Scripturae Sacrae. Declarat munus praedicandi sanctum Evangelium esse Episcoporum aut per se, aut per idoneos viros, si ipsi legitime fuerint impediti.

Ad sanctum Evangelium fidelibus explanandum decernit S. Synodus teneri etiam Pastores animarum inferioris Ordinis, et inculcat Ordinariis invigilare, ut ipsi id sedulo exequantur saltem omnibus diebus festivis.

Sess. 6. cap. 1.° Agitur de Residentia Episcoporum, et praecipitur Episcopos non residentes per sex menses, absque juxta, et legitima causa, mulctari quarta parte fructuum unius anni, applicarique Ecclesiae, vel pauperibus loci.

Idem Concilium postmodum sessione vicesima tertia cap. 1. hanc residendi obligationem amplificat cum pœnae additamento; praecipit enim Episcopum, et si S. R. E. Cardinalem, si absque rationabili causa, et debita licentia abfuerit per duos, aut ad summum per tres menses, et si interpolatos, praeter noxam peccati mortalis, non facere fructus suos pro rata absentiae; sed eos erogare teneri, aut fabricae Ecclesiarum, aut pauperibus loci.

Pari modo sessione sexta cap. 2.° injungitur Episcopis, ut legitimis remediis compellant beneficiarios ad Ecclesiarum residentiam, si eam ipsa beneficia requirant.

Capite 3. Sancitum est, Regulares ordinum quantumvis exemptorum, aut privilegiatorum extra Monasterium degentes si deliquirint, a locorum ordinariis tamquam sedis Apostolicae legatis visitari, inquiri, corrigi, et puniri.

Cap. 8. de reform. statuitur, ut locorum Ordinarii Ecclesias etiam quomodolibet exemptas visitent singulis annis, et ordinent, ac provideant tum Ecclesiarum reparationi, tum animarum curae, si qua talibus Ecclesiis incumbat nihil obstantibus privilegiis, aut appellationibus.

Cap. 10. decernitur, non licere capitulis Ecclesiarum sede vacante infra annum a die vacationis concedere litteras ad ordines dimissorias, praeterquam illis qui beneficii sive recepti, sive jam recipiendi nomine arctantur.

Sess. 13. cap. 3. inhibetur appellari ab Ordinarii interlocutoria sententia, neque ab ejus legitima correctione.

Sess. 14, cap. 6. praecipitur, ut Clerici in Sacris constituti, aut beneficio Ecclesiastico provisi incedant in habitu, et tonsura, et mandat puniri suspensione et privatione beneficii, si correcti non obediant.

Sess. 21. cap. 6. habetur — Possunt Episcopi sine praejudicio tamen obtinentium facere uniones perpetuas Ecclesiarum Parrochialium, et aliorum beneficiorum tam curatorum, quam simplicium cum aliis Ecclesiis, ac beneficiis curatis, ex causa paupertatis, aut aliis justis causis, et si dictae Ecclesiae, aut beneficia essent specialiter reservata.

Sess. 22. cap. 4. de ref. Sancitum est » ut nemo de Ecclesia sive saeculari, sive regulari vocem habeat in capitulo, etiamsi id ei ab aliis libere concessum fuerit, nisi in Subdiaconatus saltem ordine constitutus sit.

Sess. 23. cap. 9. conceditur, ut possit

Episcopus familiarem suum non subditum absque dimissoriis ordinare, modo fuerit triennio secum commoratus, eique quam primum conferat beneficium.

Sess. 24. de ref. statuuntur impedimenta dirimentia Matrimonia, haec quae quotque sint, quisque facile noverit ex lectione Canonistarum, et Theologorum.

Sess. 25. habita die 4. Decembris varia edita fuere decreta praesertim de Purgatorio, de invocatione, veneratione, ac reliquiis Sanctorum, ac Sacris Imaginibus nec non de Indulgentiis. Sic ibi habetur de Purgatorio, legitur enim: Purgatorium esse; animasque ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili altaris Sacrificio juvari, praecipit sancta Synodus Episcopis, ut sanam de Purgatorio doctrinam, a sanctis Patribus, et Sacris Conciliis traditam, a Christi fidelibus credi, teneri, doceri, et ubique praedicari diligenter studeant.

DE INVOCATIONE ET VENERATIONE SANCTORUM.

Sancitum est impie sentire, qui negant, Sanctos aeterna felicitate in Cœlo fruentes, invocandos esse; aut qui asserunt, vel illos pro hominibus non orare; vel eorum ut pro nobis etiam singulis orent, invocationem esse idolatriam; vel pugnare cum verbo Dei adversarique honori unius mediatoris Dei, et hominum Jesu Christi, vel stultum esse, in Cœlo regnantibus, voce vel mente supplicare.

De Reliquiis Sanctorum -- Sanctorum quoque Martyrum et aliorum cum Christo viventium sancta corpora quae viva membra fuerant Christi, et templum Spiritus S. ab ipso ad aeternam vitam suscitanda, et glorificanda, a fidelibus veneranda esse; per quae multa beneficia a Deo hominibus praestantur, ita ut affirmantes Sanctorum reliquiis venerationem atque honorem non deberi; vel eas, aliaque sacra monumenta a fidelibus inutiliter honorari; atque eorum opis impetrendae causa, Sanctorum memorias frustra frequentari, omnino damnandos esse, prout jampridem eos damnavit, et nunc etiam damnat Ecclesia.

De Imaginibus -- Imagines porro Christi, Deiparae Virginis, et aliorum Sanctorum, in templis praesertim habendas, et retinendas, esse, eisque debitum honorem, et venerationem impertiendam; non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas vel virtus, propter quam sint colendae; vel quod ab eis sit aliquid petendum; vel quod fiducia sit Imaginibus figenda, veluti olim fiebat a Gentibus, quae in idolis spem suam collocabant; sed quoniam honos qui eis exhibetur, refertur ad prototypos, quos illae repraesentant: ita ut per Imagines, quas osculamur, et coram quibus caput aperimus, et procumbimus, Christum adoremus; et Sanctos, quorum illae similitudinem gerunt.

De Indulgentiis sic eadem S. Synodus ait: Cum potestas conferendi indulgentias a Christo Ecclesiae concessa sit, atque hujusmodi potestate divinitus sibi tradita*, antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit, Sacrosancta Syno-

dus indulgentiarum usum Christiano populo maxime salutarem, et sacrorum Conciliorum auctoritate probatum in Ecclesia retinendam esse docet, et praecipit, eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant.

Hisce peractis multa alia edita fuerunt decreta necessaria et ad dogmata Fidei firmanda; et ad disciplinam Ecclesiasticam, juxta antiquos Canones restaurandam, et ad perditos mores reformandos. Sapientissimus Pontifex Pius Papa IV. sua expressa Bulla concessa 17. Kalendas Februarii anni 1564. confirmavit, mandavitque ab omnibus recipi, et observari: Sic Concilium hoc post elapsum a sua inchoatione annorum decem, et octo conclusum fuit. Patres numero fere 255. subscripsere Concilio ante discessum.

F. Paulus sub nomine Petri Soavis Polano hujus Concilii historiam edidit, mille tamen mendaciis, calumniisque refertam, quam egregie confutavit Eminentissimus Pallavicino. Praeter decreta multa in hoc Concilio lata, multi etiam editi fuerunt Canones, quorum major pars hic de verbo ad verbum Tyronum commoditate describitur. Sunt autem.

CANONES DE JUSTIFICATIONE

1.° Si quis dixerit hominem suis operibus, quae vel per humanae naturae vires, vel per legis doctrinam fiant, absque divina per Jesum Christum gratia posse justificari coram Deo, anathema sit.

2.° Si quis dixerit, sine praeveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut paenitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.

3.° Si quis liberum hominis arbitrium post Adae peccatum amissum et extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imo titulum sine re, figmentum denique a satana invectum in Ecclesiam, anathema sit.

4.° Si quis dixerit, non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera ita ut bona, Deum operari, non permissive solum, sed etiam proprie et per se, adeo ut sit ejus proprium opus, non minus proditio Judae, quam vocatio Pauli, anathema sit.

5.° Si quis dixerit, homines justificari, vel sola imputatione justitiae Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia, et charitate, quae in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illius inhaereat, aut etiam gratiam qua justificamur, esse tantum favorem Dei, anathema sit.

6.° Si quis dixerit, hominem a peccatis absolvi, et justificari ex eo, quod se absolvi, et justificari certo credat, aut neminem vere esse justificatum, et hac sola fide absolutionem, et justificationem perfici, anathema sit.

7.° Si quis dixerit, Dei praecepta homini etiam justificato, et sub gratia constituto esse ad observandum impossibilia, anathema sit.

8.° Si quis dixerit, nihil praeceptum esse in Evangelio praeter Fidem, caetera esse indifferentia, neque praecepta neque prohibita,

sed libera, aut decem praecepta nihil pertinere ad Christianos, anathema sit.

9.º Si quis dixerit, justificatum, vel sine speciali auxilio Dei, in accepta justitia perseverare posse, vel cum eo non posse, anathema sit.

10. Si quis dixerit, justos non debere pro bonis operibus, quae in Deo fuerint facta, expectare, et sperare aeternam retributionem a Deo per ejus misericordiam, et Jesu Christi meritum, si bene agendo, et divina mandata custodiendo usque in finem perseveraverint, anathema sit.

11. Si quis dixerit, nullum esse mortale peccatum nisi infidelitatis; aut nullo alio quamtumvis gravi, et enormi, praeterquam infidelitatis peccato, semel acceptam gratiam amitti, anathema sit.

12. Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia, simul, et fidem semper amitti; aut fidem quae remanet, non esse veram fidem, licet non sit viva; autem qui fidem sine charitate habet, non esse Christianum, anathema sit.

13. Si quis post acceptam justificationis gratiam, cuilibet peccatori poenitenti culpam ita remitti, et reatum aeternae poenae deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus poenae temporalis exolvendae, vel in hoc saeculo, vel in futuro in Purgatorio, antequam ad regna Coelorum aditus patere possit, anathema sit.

14. Si quis dixerit, hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita; aut ipsum jusificatum bonis operibus, quae ab eo per Dei gratiam,

et Jesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiae, vitam aeternam, et ipsius vitae aeternae (si tamen in gratia decesserit) consecutionem, atque etiam gloriae augmentum, anathema sit.

CANONES
DE SACRAMENTIS IN GENERE.

1.° Si quis dixerit, Sacramenta novae Legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura, vel pauciora quam septem: videlicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam-Unctionem, Ordinem, et Matrimonium, aut etiam aliquod horum septem non esse vere, et proprie Sacramentum, anathema sit.

2.° Si quis dixerit, Sacramenta novae Legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua; et sine eis, aut eorum voto per solam fidem homines a Deo gratiam justificationis adipisci, licet omnia singulis necessaria non sint, anathema sit.

3.° Si quis dixerit, Sacramenta novae Legis non continere gratiam quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint acceptae per fidem gratiae, vel justitiae, et notae quaedam Christianae professionis, quibus apud homines discernuntur Fideles ab infidelibus, anathema sit.

4.° Si quis dixerit, per ipsa novae Legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinae promissionis ad gratiam consequendam sufficere, anathema sit.

5.° Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptisimo, scilicet, Confirmatione, et Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale, et indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit.

6.° Si quis dixerit, in Ministris dum Sacramenta conficiunt, et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia, anathema sit.

7.° Si quis dixerit, Ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quae ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere, aut conferre Sacramentum, anathema sit.

8.° Si quis dixerit, receptos, et approbatos Ecclesiae Catholicae ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a Ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse, anathema sit.

CANONES DE BAPTISMO

1.° Si quis dixerit, Baptismum Joannis habuisse eandem vim cum Baptismo Christi anathema sit.

2.° Si quis dixerit, aquam veram, et naturalem non esse de necessitate Baptismi, atque ideo verba illa Domini nostri Jesu Christi: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, ad metaphoram aliquam detorserit, anathema sit.

3.° Si quis dixerit, in Ecclesia Romana quae omnium Ecclesiarum Mater est, et Magistra,

non esse veram de Baptismi Sacramento doctrinam, anathema sit.

4.° Si quis dixerit, Baptismum, qui etiam datur ab haereticis, in Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum, anathema sit.

5.° Si quis dixerit, Baptizatos liberos esse ab omnibus Sanctae Ecclesiae praeceptis, quae vel scripta, vel tradita sunt, ita ut ea observare non teneantur, nisi se sua sponte illis submittere voluerint, anathema sit.

6.° Si quis dixerit, peccata omnia, quae post Baptismum fiunt, sola recordatione, et fide suscepti Baptismi, vel dimitti, vel venialia fieri, anathema sit.

7.° Si quis dixerit, verum, et rite collatum Baptismum iterandum esse illi, qui apud infideles Fidem Christi negaverit, cum ad poenitentiam convertitur, anathema sit.

8.° Si quis dixerit neminem esse baptizandum, nisi ea aetate qua Christus baptizatus est, vel in ipso mortis articulo, anathema sit.

9.° Si quis dixerit, parvolos eo quod actum credendi non habent, suscepto Baptismo, inter fideles computandos non esse, ac propterea cum ad annos discretionis pervenerint esse rebaptizandos, aut praestare omitti eorum baptisma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiae anathema sit.

CANONES DE CONFIRMATIONE

1.° Si quis dixerit, Confirmationem baptizatorum coerimoniam esse, et non potius verum,

et proprium Sacramentum, aut olim nihil aliud fuisse, quam Cathechesim quamdam, quae adolescentiae proximi fide suae rationem coram Ecclesia exponebant, anathema sit.

2.° Si quis dixerit, injurios esse Spiritui Sancto eos, qui sacro Confirmationis Chrismati virtutem aliquam tribuunt, anathema sit.

3.° Si quis dixerit, sanctae Confirmationis ordinarium Ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem, anathema sit.

CANONES DE EUCHARISTIA

1.° Si quis negaverit in Sanctissimo Eucharistiae Sacramento contineri vere, realiter, et substantialiter Corpus et Sanguinem una cum Anima, et Divinitate Domini nostri Jesu Christi, ac proinde totum Christum: sed dixerit tantummodo esse in eo, ut in signo, vel figura aut virtute, anathema sit.

2.° Si quis dixerit, in sacrosancto Eucharistiae Sacramento remanere substantiam Panis et Vini, una cum Corpore, et Sanguine Domini nostri Jesu Christi, negaveritque mirabilem illam, et singularem conversionem totius substantiae Vini Panis in Corpus, et totius substantiae in Sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus Panis, et Vini, quam quidem conversionem Catholica Ecclesia aptissime Transubstantiationem appellat, anathema sit.

3.° Si quis negaverit, in venerabili Sacramento Eucharistiae sub unaquaque specie, et sub singulis cujusque speciei partibus, separatione *facta*, totum Christum contineri, anathema sit.

4.° Si quis dixerit, non licere sacram Eucharistiam in Sacrario reservare, sed statim post consecrationem astantibus necessario distribuendam; aut non licere, ut illa ad infirmos honorifice deferatur, anathema sit.

5.° Si quis negaverit omnes et singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint teneri singulis annis, saltem in Paschate ad communicandum juxta praeceptum sanctae Matris Ecclesiae, anathema sit.

6.° Si quis dixerit, solam fidem esse sufficientem preparationem ad sumendum sanctissimum Eucheristiae Sacramentum, anathema sit.

CANONES DE POENITENTIA

1.° Si quis dixerit, in Catholica Ecclesia Poenitentiam non esse vere, et proprie Sacramentum, pro fidelibus quoties post baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandi, a Christo Domino nostro institutum, anathema sit.

2.° Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenda sunt; non esse intelligenda de potestate remittendi, et retinendi peccata in Sacramento Poenitentiae, sicut Ecclesia Catholica ab initio semper intellexit: detorserit autem contra institutionem hujus Sacramenti, ad auctoritatem praedicandi Evangelium, anathema sit.

3.° Si quis negaverit ad integram, et perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in poenitente, quasi materiam Sacramenti Poe-

nitentiae, videlicet Contritionem, Confessionem et Satisfactionem, quae tres Poenitentiae partes dicuntur; aut dixerit, duas tantum esse Poenitentiae partes, terrores scilicet incussos conscientiae, agnito peccato, et fidem conceptam ex Evangelio, vel absolutione, qua credit quis sibi per Christum remissa peccata, anathema sit.

4.° Si quis negaverit, Confessionem sacramentalem vel institutam, vel ad salutem necessariam esse jure divino, aut dixerit modum secrete confitendi soli Sacerdoti, quem Ecclesia Catholica ab initio semper observavit, et observat, alienum esse ab institutione, et mandato Christi, et inventum esse humanum, anathema sit.

5.° Si quis dixerit, in Sacramento Poenitentiae ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino confiteri omnia, et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita, et diligenti praemeditatione habeatur, etiam occulta, et quae sunt contra duo ultima decalogi praecepta, et circumstantias, quae peccati speciem mutant; sed eam confessionem tantum esse utilem ad erudiendum, et consolandum poenitentem, et olim observatam fuisse tantum ad satisfactionem canonicam imponendam: aut dixerit, eos, qui omnia peccata confiteri student nihil relinquere velle divinae misericordiae ignoscendum: aut demum non licere confiteri peccata venialia, anathema sit.

6.° Si quis dixerit, Absolutionem sacramentalem Sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi, et declarandi remissa esse peccata confitenti, modo

tantum credat se esse absolutum, aut Sacerdos non serio, sed joco absolvat: aut dixerit, non requiri confessionem poenitentis, ut Sacerdos eum absolvere possit, anathema sit.

7.° Si quis dixerit, Sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi, et solvendi non habere, aut non solos Sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus et singulis Christi fidelibus esse dictum: Quaecumque ligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo, et quaecumque solveritis super terram erunt soluta et in Coelo: et quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt: quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata; pubblica quidem per correptionem dumtaxat, si correptus acquieverit; secreta vero per spontaneam confessionem, anathema sit.

8.° Si quis dixerit, Episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideo casuum reservationem non prohibere, quominus Sacerdos a reservatis vere absolvat, anathema sit.

9.° Si quis dixerit, totam poenam simul cum culpa remitti semper a Deo, satisfactionemque poenitentium non esse aliam quam fidem, qua apprehendunt, Christum pro eis satisfecisse, anathema sit.

10. Si quis dixerit, pro peccatis quoad poenam temporalem minime Deo per Christi merita satisfieri poenis ab eo inflictis, et patienter tolleratis, vel a Sacerdote injunctis, sed neque sponte susceptis, ut jeuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus, at-

que ideo optimam poenitentiam esse tantum novam vitam, anathema sit.

CANONES
DE EXTREMA-UNCTIONE

1.° Si quis dixerit, Extremam - Unctionem non esse vere, et proprie Sacramentum, a Christo Domino nostro institutum, et a B. Jacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantum inceptum a Patribus, aut figmentum humanum, anathema sit.

2.° Si quis dixerit, sacram infirmorum Unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos: sed jam cessasse, quasi olim tantum fuerit gratia curationum, anathema sit.

3.° Si quis dixerit, Presbyteros Ecclesiae, quos Beatus Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse Sacerdotes ab Episcopo ordinatos sed aetate Seniores in quavis communitate: ob idque proprium Extremae Unctionis ministrum non esse solum Sacerdotem, anathema sit.

CANONES DE COMMUNIONE
SUB UTRAQUE
SPECIE ET PARVULORUM

1.° Si quis dixerit, ex Dei praecepto, vel necessitate salutis, omnes, et singulos Christifideles utramque speciem sanctissimi Eucharistiae Sacramenti sumere debere, anathema sit.

2.° Si quis dixerit, sanctam Ecclesiam Catholicam non justis causis, et rationibus adductam fuisse, ut Laicos, atque etiam Clericos non conficientes, sub panis tantummodo specie communicaret, aut in eo errasse, anathema sit.

3.° Si quis negaverit, totum, et integrum Christum omnium gratiarum fontem, et auctorem, sub una panis specie sumi, quia, ut quidam falso asserunt, non secundum ipsius Christi institutionem sub utraque specie sumatur, anathema sit.

4.° Si quis dixerit, parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiae Communionem, anathema sit.

CANONES DE SACRIFICIO MISSAE

1.° Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum, et proprium sacrificium, aut quod offerri non sit aliud, quam nobis Christum ad manducandum dari, anathema sit.

2.° Si quis dixerit, Missae Sacrificium tantum esse laudis, et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in Cruce peracti, non autem propitiatorium; vel soli prodesse sumenti, neque pro vivis, et defunctis, pro peccatis, poenis, satisfactionibus, et aliis necessitatibus offerri debere, anathema sit.

3.° Si quis dixerit, blasphemiam irrogari Sanctissimo Christi sacrificio in Cruce peracto, per Missae sacrificium, aut illi per hoc derogari, anathema sit.

4.° Si quis dixerit, caeremonia, vestes, et externa signa, quibus in Missarum celebratione

Ecclesia Catholica utitur, irritabula impietatis esse magis, quam officia pietatis, anathema sit.

5.° Si quis dixerit, Missas in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse, ideoque abrogandas, anathema sit.

CANONES DE ORDINE.

1.° Si quis dixerit, Ordinem, sive sacram Ordinationem, non esse vere, et proprie Sacramentum a Christo Domino institutum, vel esse figmentum quoddam humanum excogitatum a Viris rerum Ecclesiasticarum imperitis, aut esse tantum ritum quemdam eligendi Ministros verbi Dei, et Sacramentorum, anathema sit.

2.° Si quis dixerit, praeter Sacerdotium non esse in Ecclesia Catholica alios ordines et majores, et minores, per quos velut per gradus quosdam, in Sacerdotium tendatur, anathema sit.

3.° Si quis dixerit, per sacram Ordinationem non dari Spiritum Sanctum; ac proinde frustra Episcopos dicere, Accipite Spiritum Sanctum, aut per eam non imprimi characterem; vel eum qui Sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse, anathema sit.

4.° Si quis dixerit, in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam divina Ordinatione institutam, quae constat ex Episcopis, Presbyteris, et Ministris, anathema sit.

5.° Si quis dixerit, Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi, et ordinandi; vel eam, quam habent illis esse cum Presbyteris communem; vel

Ordines ab ipsis collatos sine populi, vel potestatis saecularis consensu, aut vocatione, irritos esse, aut eos, qui nec ab Ecclesiastica et Canonica potestate rite ordinati nec missi sunt, sed aliunde veniunt legitimos esse verbi, et Sacramentorum Ministros, anathema sit.

CANONES DE MATRIMONIO

1.° Si quis dixerit, Matrimonium, non esse vere, et proprie unum ex septem Legis Evangelicae Sacramentis a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre, anathema sit.

2.° Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse, anathema sit.

3.° Si quis dixerit propter haeresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a conjuge, dissolvi posse Matrimonii vinculum, anathema sit.

4.° Si quis dixerit, Matrimonium ratum, non consumatum, per solemnem Religionis professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit.

5.° Si quis dixerit, Clericos in Sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos, posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto; et oppositum nihil aliud esse, quam damnare Matrimonium, posseque omnes contrahere Matrimonium qui non sentiunt se castitatis, etiamsi eam voverint, habere donum, anathemata sit: cum Deus

id recte petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id quod possumus, tentari.

6.° Si quis dixerit, statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis, vel caelibatus, et non esse melius, ac beatius manere in virginate, aut caelibatu, quam jungi Matrimonio, anathema sit.

7.° Si quis dixerit, causas Matrimoniales non spectare ad judices Ecclesiasticos, anathema sit.

Haec satis de Conciliis Generalibus OEcumenicis; si quis autem plura de iis scire cupiat, adeat auctores, qui fusiori calamo de iis scripsere.

CAPUT IV.

DE CONCILIS PARTICULARIBUS

De Conciliis particularibus acturi, mens nostra non est fuse lateque pertractare de singulis, sed tantummodo cursim, et breviter ex eis designabimus ea, quae in causa praecipuarum haeresum, et controversiarum habita fuere, Sit igitur.

§. I.

De Conciliis in causa Quartodecimanorum habitis.

Q. 1.° Quinam Quartodecimani dicti fuere?

R. Ita sunt appellati nonnulli ex Asia, qui anno Domino 198. sedente in Cathedra Petri Victore I., innixi cuidam Traditioni, quam erronee credebant habuisse originem ex Evangelista Joanne, opinabantur Paschatis solemnitatem celebrandam esse quarta decima Luna mensis Martii quacumque die incidisset, et ad

hoc a Polycrate convocato Concilio ab Asiaticis Episcopis sancitum est, recedendum non esse ab antiqua consuetudine.

Id cum rescivisset Victor, Romae indicto Concilio consentientibus Patribus definivit, Festa Paschalia non Judoeorum more, sed, prout ab Apostolis traditum est, celebranda esse die Dominico post decimam quartam Lunam Martii immediate sequentis, excommunicavitque omnes, qui aliter facere praesumpserint. Ad hoc habita sunt multa alia Concilia, scilicet Cisariense, Ponticum, Gallicum, etc. omnia vero convenere relate ad solemnitatem, festivitatemque Paschatis cum Ecclesia Romana.

§. II.

DE CONCILIIS

HABITIS IN CAUSA LAPSORUM

Q. I.° Quinam, et quotruplicis generis erant lapsi?

R. Lapsi vocabantur, qui persecutione fervente metu suppliciorum a Fide Christi desciverant non tamen pari modo, qua de causa non omnes eodem nomine appellabantur: Alii sacrificati, alii Fhurificati, alii Idolatrae, alii Libellatici, et tandem traditores dicebantur alii.

Q. II.° Ad hos recipiendos in Ecclesia jam contritos fuerunt necne congregata Concilia, in iisque statutae nec ne fuerunt regulae observandae in eorum receptione?

R. Hac de causa multa in Catholica Ecclesia habita sunt Concilia.

I. Romanum primum sede vacante per mortem Fabiani, convocatum a Clero Romano anno Domini 253.

II. Carthaginense I., quod congregavit B. Cyprianus, Cornelio Romano Pontifice.

III. Romanum II. sub eodem Pontifice Cornelio.

IV. Carthaginense II., quod anno 255. ipse Cyprianus convocavit ad schismata repellenda Felicissimi, et Novatiani, Lapsos nullo pacto recipiendos esse; hic pertinaciter asserebat; Felicissimus e contra opinabatur, suscipiendos esse statim, et absque ulla pœnitentia.

V. Africanum ab eodem Cypriano convocatum anno 258. in causa Basilidis, et Martialis, qui lapsi libellatici a sedibus Episcopalibus detrusi, et in eorum locum substitutis Sabino ac Felice, absque ullo honoris, gradusve dispendio in suas Sedes restitui temere autumnabant. Hispaniae Episcopi eos deposuerant. Hujus Concilii Patres depositionem confirmant, quod fecit etiam ipsa Apostolica Sedes.

VI. Ancyranum in Asia, convocatum fuit anno 314, Romae sedente Silvestro, a Vitale Antiocheno, reddita jam pace in Ecclesia morte Maximini Imperatoris.

Hisce in Conciliis communi sententia sancitum est, lapsos non esse recipiendos nisi peracta pœnitentia juxta praescriptos gradus. Quaenam autem esset pœnitentia peragenda, et quinam ejus gradus, ad id statuendum, per enumerata Concilia multi editi sunt Canones, qui *Canones Pœnitentiales* dicuntur. Quae omnia facile dignosci possunt ex iis, quae leguntur in

Epistola, quam scripsit Clerus Romanus ad Episcopos — Heac sunt verba —

» Pulsent fores, sed non utique confri-
» gant; adeant ad limen Ecclesiae, sed non
» utique transiliant. Castrorum Cœlestium ex-
» cubent portis, sed armati modestia, qua in-
» telligant, se desertores fuisse; multum illis
» proficiat petitio modesta; postulatio verecun-
» da, humilitas necessaria, patientia non otio-
» sa, mittant Legatos pro suis doloribus lacry-
» mas; advocatione fungantur ex intimo pecto-
» re prolati gemitus, dolorem probantes com-
» missi criminis, et pudorem.

Hac occasione multa alia celebrata sunt particularia Concilia, scilicet *Cleberitanum* in Hispania, *Neocaesanense* in Cappadocia, et *Sinuesano* in Regno Neapolitano pro lapsu Marcellini, quem nimis perterritum in Breviario, et in Martirologiis legitur, sacrificasse Idolis. At Augustinus dubitabat de hoc lapsu, et nulla de eo fit mentio, neque ab Eusebio, nec a Theodoreto. Aug. lib. de unico Baptismo c. 16 sic ait. - Lapsum Marcellini Donatistae quidam Catholicis objecerunt, sed crimen esse commissum hactenus non probarunt.

§. III.

DE CONCILIIS HABITIS IN CAUSA REBAPTIZANTIUM BAPTISMOS AB HAERETICIS

Valeretue Baptismus ab haereticis collatus, diu magna animorum contentione est disputatum. Ad hanc solvendam quaestionem multa habita sunt Concilia praesertim in Africa, et etiam in Asia.

Anno Domini 215 Zepherino Romano Pontifice ex Episcopis Africae, et Numidiae ab Agrippino Cartaginense Concilium ad hoc est convocatum, et in eo definitum, nullum esse Baptisma ab Haereticis collatum, ac per consequens reiterandum. Testatur Cyprianus epist. 71 *ad Quintum.*

Anno Domini 258 sedente Romae Stephano Iconii in Phrigia fuit convooatum Concilium a Firmiliano Caesareae Cappadociae Episcopo. Eodem anno, et sub eodem Romano Pontifice ad eamdem solvendam quaestionem habita sunt Concilia. Uuum Synade in Asia; Tria Cartagine convocata a S. Cypriano. Ab omnibus constanter sancitum est, nullum esse Baptisma, Haeretico Ministro, quia extra Ecclesiam collatum.

Stephanus Romanus Pontifex haec omnia reprobavit Concilia, quia eorum decisiones totaliter opponebantur Doctrinae ad nos ab Apostolis per Traditionem demandatae, eodemque

tempore Orientales Episcopos haec statuentes excomunicat, et Apostolicae Sedis privat communione, et firme sancivit nulla habita ratione dignitatis Minisiri, validum semper esse Baptisma debita Materia, Forma, et Intentione collatum.

§. IV.

DE CONCILIIS HABITIS IN CAUSA DONATISTARUM

Q. 1.° A quo Donatistarum haeresis suum assumpsit nomen, et quinam erant eorum errores contra Fidem Ecclesiae?

Q. Donatistae schismate celebres, et haeresi famosi sub Constantino Imperatore, et Melchiade Romano Pontifice suborti sunt in Africa anno Domini 313. Sortiti sunt nomen non a Donato Carthaginensi Episcopo, sed ab alio Donato in Numidia Episcopo *a Casis Nigris* etsi primus Donatus hujus pestiferae Sectae fuerit et ipse secundarius promotor, et patronus. Teste S. August. lib. de haeresi c. 69.

CONTRA CATHOLICAE ECCLESIAE FIDEM DOGMATIZABANT.

1.° Ecclesiam non costare nisi solis bonis, et perfectis.

2.° A malis, et impuris collata Ministris Sacramenta nulla esse, et frustranea.

3.° Totam ubique corruptam defecisse, ac periisse Ecclesiam, et puram remansisse tantum in Africa apud Donatistas.

4.° Solum penes se esse veros, legitimosque Ministros sicuti relate ad Baptismum, ita ad coetera Sacramenta: proinde ipsi rebaptizabant venientes ad suam sectam.

5.° Catholicam Ecclesiam esse Meretricem, ac proinde spurios, et illegitimos ejus Ministros.

Praeter recensitos errores schisma etiam in Ecclesia Africana suscitavit Donatus a Casis Nigris. Caecilianus, defuncto Mensurio, canonice electus fuit Carthaginis Episcopus.

Donatus, et quia suae adversabatur doctrinae Caecilianus, et quia hic custos erat fidelis Domus Dei, congregato Conciliabulo cum variis machinatis calumniis ab Episcopali Sede deposuit, et in ejus locum suffecit Majorinum, et hoc e vivis sublato, alterum Donatum.

Q. 2.° Ad hoc extinquendum Schisma, et ad profligandos Donatistarum errores, quotnam fuerunt congregata Concilia?

R. Plurima scilicet, duo Cartagine anno 306, 308, Marcello Romano Pontifice - Romae unum anno 313 Melchiade Papa - Arelate in Galliis unum anno 314, Silvestro sedente Romae - Ab anno 403 ad annum 410 snb Innocentio I.° octo in Africa habita sunt - In omnibus Donatistarum anathematizantur errores. Innocens declaratur Caecilianus, et Carthaginis legitimus Episcopus; Majorinus autem, et Donatus intrusi, et schismatici.

At per hoc effracta non est eorum contumacia: usque ad Arcadii, et Honorii tempora

omni praecipiti furore grassati sunt tumultuantes, undique minas, terroresque disseminantes.

Tandem domita est impiorum protervia non tantum Magni Augustini invictis disputationibus, quam Marcellini Tribuni potentia, et praecipue poenalibus edictis ipsius Honorii.

§. V.

DE CONCILIIS HABITIS IN CAUSA ARIANORUM

Prius quam Nicaenae congregatum fuisset 1. OEcumenicum Concilium de quo egimus supra, et ad quod lectores remittimus, Arii errores damnati fuerunt cum suo auctore, et fautoribus in duobus Conciliis Alexandriae habitis uno anno Christi 315, altero anno 319 Silvestro Romano Pontifice.

Tria pariter, sub Julio I. Romae habita sunt Concilia anno Domini 337, 341, et 342. In primo confirmatur Nicaena Fides, in duobus aliis contra Arianorum machinationes. Athanasii innocentia cognita, atque declarata fuit quod factum est etiam in Concilio Mediolanense anno 350, et Jerosolymitano eodem anno, et sub eodem Julio.

Q. Ex Ariana haeresi tamquam ex veneneto fonte pestiferi surculi fuerunt nec ne etiam exorti?

R. Decursu temporis Ariana haeresis in tres sectas est divisa. Prima fuit Aetianorum, et Eunomianorum. Secunda Semi-Arianorum. Tertia Acacianorum.

Aetiani cum Ario blasphemabant Dei Filium nec ejusdem, nec similis cum Patris sub-

stantia esse, sed per omnia dissimilem. Semi-Ariani asserebant esse quidem non consubstantialem, seu ejusdem substantiae, sed similis substantiae, et per omnia similem. Acaciniani tandem tenebant cum Acacio, Filium Dei nec esse ejusdem, nec similis substantiae, nec creaturarum aliquam esse tamen Patri similem eo fere modo, quo effigies hominis similis est homini, licet diversae, dissimilisque substantiae sit.

Hi omnes errores una cum Ariana pestifera lue in pluribus orthodoxis Conciliis damnati fuerunt, et Ecclesia universalis eos semper anathematizavit, et adhuc anathematizat.

§. VI.

DE CONCILIIS HABITIS IN CAUSA PELAGIANORUM ET SEMIPELAGIANORUM.

Q. 1.° Pelagiani a quo sic vocati fuere, et quinam eorum erant errores in fide?

R. Haeresi Pelagianae nomen dedit Pelagius Monachus e Britania oriundus. Initio quo moratus est Romae austeritate morum fuit commendabilis, sed decepit incautos, quia non post multum caepit suos aliis instillare errores, qui ad tres classes possunt revocari.

1.° Negabat peccatum originale, et parvulos decedentes sine Baptismo aeternae damnationi esse obnoxios.

2.° Asserebat hominem sine ope Gratiae per solam naturam ingenitasque liberi arbitrii vires

quodcumque opus bonum eligere posse, et gratiam dari intuitu meritorum.

3.° Docebat, hominem solis liberi arbitrii viribus ad eum perfectionis gradum assurgere posse, in quo impeccabilis esset, et haberet passionum impassibilitatem.

Q. 2.° Habuit nec ne Palagius discipulos Pelagianae haeresis fautores, et propagatores?

R. Multi fuere Pelagii doctrinae sectatores, sed duo praecipue Cœlestius, et Julianus Episcopus ejus doctrinae zelatores fuere. Cœlestius Romae, in Africa, et per Asiam pertinaciter disseminavit errores. Julianus damnatus fuit quia renuit subscribere se damnationi a Zosimo Romano Pontifice decretae Pelagii, ejusque errorum. Contra hos crudite scripsit Magnus Augustinus.

Q. 3.° Quinam fuerunt Semipelagiani, et quos ipsi disseminabant errores?

R. Adrumenti in Africa apud aliquos Monachos origenem habuit Semipelagianismum. Ipsi admittebant transfusionem peccati originalis; relate vero ad gratiam, et ad vires liberi arbitrii opinabantur sicuti caeteri Pelagiani. Sanctus Augustinus, ut procul ab iis omnem errorum originem dispelleret, elucubravit librum inscriptum *de correptione*, *et gratia*.

Anno Domini 426. Semipelagiana haeresis ab Africa penetravit in Gallias, ubi undequaque serpebat, et praesertim Massiliae, et per hoc Semipelagiani etiam Massilienses dicti sunt. Sanctus Augustinus cum a Sanctis Prospero, et Hilario audisset Semipelagianorum factionem, direxit in Gallias libros *de praedestinatione*

Sanctorum, et de dono *perseverantiae*.

Ita vero contra Catholicae Ecclesiae dogmata opinabantur Semipelagiani docentes.

1.° Ad initium Fidei, et bonorum operum necessariam non esse gratiam; sed sufficere vires liberi arbitrii.

2.° Deum velle indiscriminatim omnium hominum salutem tam electorum quam reproborum, *dummodo ipsi velint*.

3.° Praedistinationem esse gratuitam, sed pendere ex meritis, quae Deus per scientiam *Conditianatorum* explorat etiam in parvulis, qui statim moriuntur post susceptum Baptisma.

4.° Gratiam omnibus praesto adesse, sed quantum ad ejus efficaciam libero hominis arbitrio subditam esse.

5.° Perseverantiam non esse singulare Dei donum, sed subdi potestati cujuslibet hominis, si velit perseverare.

6.° Sancti Augustini doctrinam tamquam novam, et nimis duram reiciendam esse, quia ea sub ipso praedestinationis nomine fatalem necessitatem inducebat.

Ormisdas Romanus Pontifex anno 520 hos pestilentes errores damnavit. Denique anno Domini 529 Concilium Arausicanum Semipelagianorum haereticam doctrinam prostravit, atque anathematizavit.

Q. In causa Pelagianorum, et Semipelagianorum quot habita sunt Concilia, quidque sit definitum in eis.

R. Diospoli in Palestina anno Domini 415. Innocentio I. Summo Pontifice in causa Pelagii congregatum est Concilium, cui adfuit ipse

Pelagius. Hic ficte ipse suos damnans errores, et Eccleciae profitens fidem, Concilii Patribus deceptis, innocens est declaratus.

At non sic in Concilio Carthaginense, neque in Concilio Melevitano habitis hanno 416 sub eodem Pontifice.

Hisce in Conciliis bene perspecta ejus fraude, versutia, et hypocrasi damnatus est cum discipulo Cœlestio, et ejus doctrina anathematizata. Idem fecere Concilia.

Africanum sub Zosimo Papa habitum anno 418.

Costantinopolitanum anno 425 Cœlestino I. Romano Pontifice.

Romanum habitum anno 430. Romae sedente etiam Cœlestino.

Tandem Arausicanum anno Domini 529. sub Felice IV, et sic Pelagiana, et Semipelagiana haeresis Deo injuriosa fuit feliciter extincta.

§. VII.

DE CONCILIIS HABITIS IN CAUSA NESTORIANORUM

Ad damnandam Nestorii perhorrendam haeresim non solum Ephesi indictum est Generale OEcumenicum Concilium, sed multa alia hac occasione habita sunt particularia Concilia. Ex his Conciliis nonnulla praecesserunt, nonnulla subsecuta sunt Ephesinum.

Anno Domini 430. Cœlestinus I. Romae congregavit Concilium, et eodem anno, et sub eodem Pontifice alterum habitum fuit Alexan-

driae in Ægypto. In hisce blasphemia Nestorii cum suo auctore damnatur, et Orthodoxia, ac per consequens innocentia Cyrilli declaratur. Idem decretum fuit in Conciliis Antiocheno, et Armeniense primo habito 432, secundo Romae sedente Sixto III. anno 435., in quo damnati etiam fuerunt libri Theodori Mopsuesteni, et Diodori Tarsensis impietate, multisque erroribus referti.

De haeresi Nestoriana multa dicta sunt in tertio OEcumenico Concilio, illud igitur adeat lector benignus.

§. VIII.

DE CONCILIIS HABITIS IN CAUSA PRISCILLIANISTARUM.

Q. 1.° Quinam hujus haeresis auctor fuit atque propagator?

R. Anno Domini 379. Romae sedente Damaso Priscillianus Hispanus ab Orco hanc impiissimam sectam evocavit. Ei adhaesere non solum multi nobiles, plebei, et mulieres, sed duo etiam Episcopi Instantius, et Salvianus, qui omnes a Priscilliano Priscillianistae sunt dicti. Haereticis se vehementer opposuit Idacius Emeritae Civitatis Episcopus, et anno 380. Caesar-Augustae Synodo convocata Instantius et Salvianus Episcopi, Elpydius, et Priscillianus laici cum suis sectatoribus damnati fuere. Anno 385, istante Ithacio, Maximus Imperator

Priscillianum capite plecti jussit, caeterosque in exilium misit.

Q. 2.° Quinam erant errores, quibus fuerant infecti Priscillianistae?

R. Omnium haeresum compago haeresis erat Priscillianistarum.

1.° Cum Manichaeis admittebant duo principia Bonum, et Malum.

2.° Docebant cum Gnosticis, quasdam virtutes ex Deo procedere, quas in tempore Deus acquisivit, et quas ipse sua essentia praecesserat.

3.° Cum Noeta, et Sabellio negabant in Deo Trinitatem Personarum.

4.° Cum Origene censebant, animas, antequam infunderentur in corpora, peccasse, et in pœnam peccati in corporibus tamquam in carceribus fuisse reclusas.

5.° Affirmabant cum Paulo Samosateno, et Photino, Christum non esse Deum, sed purum hominem.

6.° Cum Marcionitis, et Manichaeis blasphemabant Christum non sumpsisse veram carnem.

7.° Opinabantur cum Ethnicis, animas, et corpora fato Stellarum adstringi.

8.° Asserebant, animas hominum divinae esse substantiae.

9.° Negabant Corporum resurrectionem.

10. Exhorrebant nuptias, et legitima connubia.

Ad hos probandos errores suas habebant apocryphas scripturas, quas Verbum Dei appellabant.

Relate ad mores, Priscillianistae obscaenam vitam degebant. Abstinentia, oris, et corporis

modestia, assiduitate precum, et pallore vultus mentiebantur. pietatem, et nocturnos turpium faeminarum conventus habebant nudi orantes.

Ad suas occultandas turpitudines mentiri licitum esse autumnabant, et tamquam dogmata illud habebant.

Jura, per jura, secretum prodere noli.

Q. 3.° Ad tot tantosque anathematizandos errores, quot habita sunt Concilia in Ecclesia Dei?

R. Praeter Caesaragustanum, de quo supra, anno Domini 385. Siricio Romano Pontifice, jussu Maximi Superioris congregatum est Concilium Burdegalense.

Suasu S. Leonis Magni, S. Turibius Asturicensis Episcopus alterum habitum est in Hispania anno 447.

Bracarae, quae Gallaeciae Civitas est Metropolis anno 563, 572, 675. tria habita sunt Concilia sub Joanne III, et Adeodato, Romanis Pontificibus. In omnibus hisce recensitis Conciliis obscaenissima Priscillianistarum secta plaudentibus omnibus damnata, atque anathematizata fuit cum suis Auctoribus, Sectariis, et fautoribus.

§. IX.

DE CONCILIIS IN CAUSA EUTYCHIANORUM HABITIS.

Ad magis magisque semper damnandas haereses Eutychianorum, Monothelitarum, et Iconoclastarum, praeter Concilia OEcumenica in quibus eorum haereses profligatae, et anathematizatae fuere, multa etiam particularia Concilia habita sunt.

Leone Romano Pontifice, Constantinopoli anno 448, 449, et 459. tres Synodi congregatae sunt.

Alexandriae una anno 452, altera Mediolani, Romae sedente eodem Leone, et in omnibus dictum est anathema in Euthichen, ejusque doctrinam, et haeresiarca communi calculo privatur Sacerdotali officio, primatu Monasterii, et Ecclesiae communione.

In Monothelitarum haeresim Romae quatuor habita sunt Concilia, 1. sub Joanne IV. anno 640, in quo fuit etiam proscripta Etchesis Heraclii. 2. anno 648 convocatum a Theodoro Papa. 3. habitum sub Martino I. anno 649. 4. anno Domini 680. sub Agathone Romano Pontifice.

Eodem Pontifice Romae sedente anno 679 habita jam fuerant Concilia Anglicanum, et Mediolanense, in hisce omnibus Conciliis contra Monotholitas uno ore conclamatum est *Anathema*.

In defensione Sacrarum Imaginum contra Iconoclastas indicta, et celebrata fuere particularia Concilia, duo Romae, unum sub Gregorio II, alterum sub Gregorio III. anno 732, in quibus et Iconomachorum damnatur haeresis, ejusque promotor, et Christianorum persecutor Leo Isaurus Imperator excommunicatur.

Romae sedente Gregorio IV, anno Christi 842, Constantinopoli imperante Theodora Vidua religiosissima pro filio Michaele puero quatuor annorum Concilium est celebratum, et in eo definitum Catholicum dogma, et separati fuere a communione Ecclesiae omnes Iconomachi, et ejecto Joanne Patriarcha haeretico, Methodius invictus Orthodoxae Fidei defensor subrogatus fuit in ejus locum plaudentibus omnibus.

§. X.

DE CONCILIIS
HABITIS IN CAUSA BERENGARII
SACRAMENTARIORUM AUCTORIS.

Q. 1.° Quisnam fuit iste Berengarius, et an saeculo XI. ejus tantum haeresis Ecclesiam infestaverit?

R. Turone in Galliis suum habuit ortum Berengarius, Vir maximo praeditus ingenio, sed petulante, et versatili simulque valde ad novitates propenso. In Patria Turonensi scholae praefectus magnum sibi peperit nomen, et Turoni in Ecclesia S. Martini Camerarii, et The-

saurarii dignitatem obtinuit. Ab Eusebio Bruno Episcopo Cendegavensi Archidiaconus, et Thesaurarius Ecclesiae Cendegavensi creatus est, et hic caepit Berengarius suam disseminare haereticam doctrinam anno 1035.

Sed non Berengarii tantum haeresis Ecclesiam afflixit saeculo undecimo; multi alii suborti sunt haereticales errores.

Michael Cerularius C. P. Patriarcha superbia elatus, subjici abhorrens, et cupidus dominandi Photiano renovato Schismate, Orientalem Ecclesiam ab Occidentale penitus divellit, et funesta separatio cum damno tot animarum ad nostra usque tempora perseverat.

Anno Domini 1022 in Galliis regnante Roberto Filio Hugonis Capeto detecta est in Urbe Aurelianensi cruda nimirum, atque insolens haeresis, per quam revocabatur ab Orco haeresis Nicolaitarum, et Manichaeorum.

Cum Nicolaitis admittebant communionem Mulierum, et de facto in nocturnis conventibus iis promiscue abutebantur, et natos ex hoc concubitu cremabant, more Ethnicorum, cineres magna veneratione servantes.

Cum Manichaeis duo admittebant principia bonum, et malum. Sacras respuebant Scripturas, Mundum asserebant ab aeternitate fuisse; sicuti nunc est. Christum, autumabant, non fuisse natum ex Maria, ac per consequens neque passum, neque mortuum, neque resurrexisse, neque per verba Sacerdotis fieri transubstantiationem panis, et vini in corpus, et sanguinem Jesu Christi, neque per Baptismum ullam fieri scelerum remissionem.

Pro nihilo ducebant invocare Sanctos, et effutiebant vana esse, et superflui laboris omnia opera bona. Instar lytaniae Dœmonum recitabant nomina, et alia similia, a quibus, quia erant fabulosa, blasphemiis, et impudicitiis referta animus abhorret.

Ad eliminandos tot tantosque errores Synodus Aurecidensis est convocata, in qua Haeresiarchae convicti suam haereticam pravitatem detestari nolentes, omnes comuni consensu, et voto perpessi sunt ignis incendium.

Hoc saeculo alia etiam suborta est haeresis, cujus auctor fuit Rosellinus Canonicus Compendiensis, et praeceptor Petri Abaelardi: Asserebat Rosellinus. In Deo *tres Personas esse tres res ab invicem separatas, uti sunt tres Angeli, aut tres animae, tresque Deos vere posse dici si usus admitteret*. In Suessionensi Concilio cum suo Auctore in suo errore obstinato, haec heresis fuit damnata, quam S. Anselmus erudite confutavit in Tractatu de Fide Trinitatis, et Incarnationis.

Sed redeamus ad Berengarium, ideo.

Q. 1.° Quinam in Fide erant Berengarii errores?

R. Berengarius I.° asserebat pueros non esse baptizandos, quia si baptizarentur frustra baptizarentur.

2.° Legitima destruebat conjugia, et perfricta fronte autumnabat unicuique licitum esse scortationem cum mulieribus.

3.° Negabat Christum Dominum clausis januis ad discipulos intrasse.

4.° Inficiabatur realem praesentiam Corporis,

et Sanguinis Christi in Sacramento Eucharistiae nec non substantialem conversionem panis, et vini in Corpus, et Sanguinem Christi.

Scio adesse Scriptores, et inter hos Mabillonium, qui putant Berengarium admisisse in Eucharistia realem praesentiam Christi, sed una cum substantia panis, et vini, uti tenuit Lutherus, et tenent nunc Lutherani, ob quod impanizatores dicuntur; sed eos eorum fallit opinio, quia apud auctores magni nominis, et numero majores jam probatum est Berengarium totaliter negasse in Eucharistia realem praesentiam D. N. J. C.

Q. 3.° Ad hanc haeresim damnandam, statim ac ea erupit, fuerunt nec ne in Ecclesia congregata Concilia?

R. Statim Berengaria haeresis in multis Conciliis fuit profligata, et I.° in Concilio Romano sub Leone IX. anno 1050. 2.° in Conventu Brionensi - 3.° In Conciliis Varcellensi, et Parisiensi eodem anno celebratis. 4.° In Florentino habito sub Victore II. anno 1052. 5.° In Turonensi indicto eodem anno. 6.° In Romano Nicolao II. Pontifice anno 1059 - 7.° In duobus Romanis sedente in Cathedra Petri Gregorio VII.

Q. 4.° Berengarius in tot Conciliis damnatus resipuit nec ne tandem a suo haereticali errore?

R. Multoties cecinit palinodiam, sed postea rediit ad vomitum. Tandem circa annum 1083 ad meliorem frugem conversus ab haeresi sua vere resipuit, et Catholicam fidem professus est.

Haec sane mutatio fuit *dexterae Excelsi.*

Plura alia, et fere innumera fuerunt par-

ticularia Concilia, quae variis in locis, variisque de causis habita sunt in Ecclesia, sed ego brevitati studens plura non dicam, et qui plura scire cupit, adeat auctores, qui fusiori calamo de Conciliis tam OEcumenicis, quam particularibus scripsere.

CAPUT. V.
DE CONCILIIS AB ECCLESIA REPROBATIS
§. UNICUM

Q. Quinam ii fuere, qui haec Conciliabula convocavere?

Quid sit actum in eis, et quo anno acciderit?

R. Disces ex modo dicendis, et reapse.

1.° Conciliabulum habitum a Donatistis Carthagine anno 311, in quo ab haereticis, deposito Ceciliano, Majorinus creatus fuit Episcopus.

2.°. Alterum etiam Carthaginense, cui praefuit Donatus successor Majorini. In hoc Conciliabulo omnes Traditores communi consensu in communionem sunt recepti etiam renuentes baptizari.

3.° Anno 335 in hoc Conciliabulo ab Arianis Tiri congregato, Athanasius accusatus de Calice fracto, de Altari disjecto, et de morte Arsenii Episcopi Meletiani fuit depositus.

4.° Anthiochiae habitum est etiam aliud Conciliabulum ab iisdem Arianis convocatum contra Athanasium anno 341. In hoc conventu tres Ariani protulerunt Fidei professiones, sed in

omnibus Consubstantialitas Filii cum Patre reticetur.

5.° Ariani alterum Anthiochiae Conciliabulum coegerunt, et in eo novum haereticale Symbolum edidere anno 345.

6.° Anno Domini 347 Eusebiani cum Orthodoxis Sardicae congregati renuentes habere cum his communionem, Sardica discessi convenerunt Philippos in Thracia. In hoc Conciliabulo iterum damnatus fuit S. Athanasius, et ut auctoritatem haberet fraudolenter dixerunt illud Sardicense.

7.° Sirmii duo habita sunt Concilia. Unum a Catholicis indictum anno 349, alterum ab Arianis anno 351. In primo damnatus fuit Photius Sirmiensis Episcopus erroribus infectus Sabellii, et Pauli Samosathenae.

8.° In secundo, quod vere fuit Conciliabolum, tres Fidei professiones perlectae fuerunt. Prima fuit exarata a Catholicis in primo Concilio Sirmiensi., et volunt esse illam, quam subscripsit Liberius Romanus Pontifex. Duo aliae ab haereticis editae sunt, quibus Osius Magnus adhaesit, veruntamen ante mortem suum errorem detestatus est.

9.° Anno Domini 359. Constantius Imperator ardentissimus Arianorum fautor ex toto orbe terrarum duo convocavit Concilia. Unum Arimini pro Patribus Occidentalibus; alterum Seleuciae pro Orientalibus. Tunc temporis Sedem Petri tenebat Liberius, qui suos ad hoc Concilium misit Legatos inter quos Vincentium Capuae Episcopum, qui eodem in Nicaena Synodo perfunctus erat officio. Subscribenda a Patri-

bus proposita fuit secunda professio Fidei Sirmiensis, in qua suppresso vocabulo *Consubstantialis* legebatur *similis*. Patres Orthodoxi a Symbolo abhorrent, et magno ardore, et constantia Nicoenam fidem profitentur. Sed non diu perseveravit hic ardor Fidei. Constantio, ejusque Ministro Mauro Comite, qui armis stipatus Concilio praeerat, suam tyrannidem exercentibus, Patres, tum animi dejectione, tum vi, tum dolis, tum promissis, tum minis, tum longioris morae taedio superati subscripsere professioni Fidei Arianae, et Orbis terrarum miratus est, sese Arianum esse.

Patres Orthodoxi adjuvante Deo ab haereticali impietate resipuerunt.

Liberius Papa Concilium istud cum omnibus actis suis reprobavit, et iterum anathema dixit in Arianos, sed praecipue in Valentem, Ursacium, et Auxentium Ecclesiae Mediolanensis invasorem, pulso in exilio Dionisio. Pari modo reprobatum est Concilium Seleuciae habitum.

10. Anno 401 Theophilus Alexandrinus Divi Joannis Chrisostomi inimicus ad hunc damnandum in suburgo prope Constantinopolim Quercus dicto hoc convocavit Conciliabulum, et contra S. Praesulem, probra testante suo Archidiacono, quem Theophilus corruperat, Chrisostomus a conventu malignantium damnatur. Concilium hoc ab Ecclesia fuit reprobatum.

11. Dum in Nestorianam haeresim Ephesi habebatur Synodus OEcumenica, Joannes Antiochaenus Nestorii amicissimus, et Cyrilli hostis acerrimus eodem tempore, et in eadem Civi-

tate cum aliquibus Frigiae Episcopis in Cyrillum, aliosque Episcopos, qui contra Nestorianam perfidiam dixerant anathema, Conciliabulum congregavit.

12. Anno Christi 449 Ephesi alterum convocatum est Conciliabulum, quod jure merito latrocinium Ephesinum vocatur. Interfuere 128 Episcopi cum Apostolicis Legatis. Jussu Imperatoris ei praefuit Dioscorus. In eo absolvitur haeresiarca Eutyches, haeresis confirmatur. Flavianus cum nonnullis aliis Episcopis damnatur, sed cum ab iniqua sententia ad Romanum Pontificem appellasset, Flavianus caesus est, et multis affectus injuriis dolore plagarum migravit ad Dominum. Teste Liberato Carthaginensi Archidiacono.

13. Concilium Quini-sextum in Trullo, Basilica in ipso Imperiali Palatio. Dicitur Quini sextum, quia supplementum Conciliis OEcumenicis Quinto et Sexto, in quibus nullo edito canone, Orientales, post annos duodecim Canonibus 102 supplevere in hoc Concilio, quod vero a Sergio I. fuit reprobatum.

14. Romae sedente Honorio I.° anno 633. sub specie reducendi Acephalos in sinum Ecclesiae Cyrus Alexandrinus Patriarcha Monothelita Alexandriae hoc convocavit Conciliabulum. In eo editum fuit Synodale decretum novem complectens capitula; in quorum septimo asseritur unam esse in Christo voluntatem, unamque operationem, et allegabatur illud Dionysii, videlicet — *Eumdem unum Christum, et Filium operari Deo docibilia, et humana, nova Dei virili operatione* — Sergius C. P. Pa-

triarcha et ipse Monothelita scripsit Honorio, ut pro bono pacis ad tempus nulla fieret mentio de una, vel duabus operationibus, et voluntatibus, cum satis esset profiteri in Christo Dei virilem operationem, et voluntatem. Honorius bene sentiens de fide acquievit. Non fuit haereticus, sed haereticorum fraudibus adhaerens peccavit.

15. Anno Domini 702. Romae sedente Constantino, et imperante Philippico, Joannes C. P. Patriarcha Monothelita Antesignanum, ad damnandam sextam OEcumenicam Synodum, Carthagine Conciliabulum hoc congregavit. Innumeri Praelati Orientalis Ecclesiae convenerunt, qui, protegente Philippico, sextam OEcumenicam Synodum damnavere: Invicto animo resistit Pontifex Romanus Constantinus, damnavit Conventum iniquorum, et cum execratione fortiter respuit haereticam Fidei professionem, et literas quas ad eum miserat Joannes Monothelita Patriarcha.

16. Inconsulto Romano Pontifice Gregorio II. anno 730. Leo III. Isaurus Imperator Costantinopolis in aula Regia cum aliquibus haereticis hoc congregavit Conciliabulum, cui etsi invitus, interfuit S. Germanus, qui quia renuit subscribere edicto Leonis in Sacras Imagines, missus in exilium ibi strangulatus fuit, et Martyr occubuit.

17. Anno Domini 754 Stephano III. Romano Pontifice, Constantinus Copronymus Constantinopoli Conciliabulum in sacras Imagines congregavit. Interfuere Episcopi 338, a quibus et cultus damnatus est sacrarum Imaginum, et

anathema dictum in Cultores, praecipue vero in S. Germanum, Georgium, et S. Joannem Damascaenum.

18. A Theodoro pseudo-Patriarcha Iconomacho anno 814. Romae sedente Leone III. hoc Conciliabulum convocatum fuit. In eo damnatur septima OEcumenica Synodus, et probatur, et confirmatur Conciliabulum habitum Costantinopoli contra Sacras Imagines, de quo supra. Denique jure merito inter Conciliabula adnumerari possunt omnia Concilia habita in Africa, et in Asia, in quibus contra Apostolicam Traditionem definitum fuit rebaptizandos esse baptizatos ab haereticis.

AUCTORES ILLUSTRIORES QUI DE CONCILIIS SCRIPSERE SUNT.

Dominicus Jacobatius, Joannes de Turracremata, Cajetanus, Rubertus, Bellarminus, Cresconius, Isydorus Mercator, Gratianus, Jacobus Morlinus Gallus, Laurentius Surius, Severinus Binius, Jacobus Sirmundus, Philippus Labbaeus, Gabriel Cossartius Societatis Jesu, Joannes Cabassatius, Sarmonius, Harduinus, Cardinalis Ursius, et multi alii.

Hos consule in dubiis, si tibi erudiri placuerit; semper vero pro gloria Dei, et bono, et utilitate Sanctae Matris nostrae Ecclesiae.

FINIS.

AL LETTORE

Cenno biografico dell' Autore.

La Teologia non è già una di quelle scienze appoggiate a principj incerti, e disputabili, le quali in ultima analisi non valgono che ad invanire lo spirito, ed a precipitarlo sovente in un abisso di mali temporali, ed eterni. Essa è all' opposto una emanazione preziosa di quell' altissima, ed arcana Sapienza diretta unicamente a felicitare i mortali, e condurli soavemente al conoscimento di quei doveri, che possono renderli felici in questo gramo, e breve soggiorno, per quanto è concesso alla misera umana condizione. Ma quel che più cale, alla medesima è dato di guidarlo con sicurezza al conseguimento di quella verace, ed eterna beatezza, che può soltanto appagarlo. Or alla profonda conoscenza di siffatta figlia del Cielo si dedicò a tutt' uomo sin dagli anni più verdi Niccolò Tamburini, il quale nato nel di 7. Marzo 1762. in Monsanpolo, Paese non oscuro dello Stato Pontificio, soggetto però alla vastissima Diocesi Aprutina; in Teramo Capitale di questa fissò di buon ora il proprio domicilio, e vi chiuse gli operosi suoi giorni nel di 4. Novembre 1840. Egli non fu certamente un di coloro, che appena salutati i limitari del Santuario, agognano già di subito occuparne i seggi più eminenti. Esso all' incontro figlio ex asse del di lui merito, e de' suoi letterarii sudori percorse a gradi il nobile, e laborioso stadio della Ecclesiastica Gerarchia; ond' è che dalla prima giovinezza divenuto uno de' Parochi Teramani, fu indi promosso a Canonico di quella Cattedrale, e finalmente sublimato alla Dignità Arcidiaconale della medesima. Il perchè i due Vescòvi Aprutini Monsignor Nanni defunto, e l' attuale Monsignor Berrettini si recarono a gloria di eleggerlo per di loro Vicario Generale. Del pari in due consecutive vacanze di quella Sede Vescovile, disimpegnò con somma lode la carica di Vicario Capitolare. Ma sopratutto Egli rifulse, e si segnalò sulla Cattedra di Teologia Dommatica, e Morale, ch' esercitò con valore nel Seminario Vescovile Aprutino per lo spazio nientemeno, che di oltre otto lustri, in guisa che in quella Diocesi non vi ha oramai alcun Paroco, o Prete, che non sia stato Allievo dell' Arcidiacono Tamburini.

Senza far parola di parecchie sacre produzioni di siffatto Valentuomo date in luce colle stampe, si è ora stimato da Persone istruite della materia di non lasciar nascosto, ed inoperoso un aureo Trattato da Lui ultimamente compilato per comodo e vantaggio de' Giovani studenti, in cui ha riccamente, e mirabilmente compendiato tutto ciò, che riguarda i fondi primarii della Teologia, come sono appunto quelli, che trattano delle DIVINE SCRITTURE, della TRADIZIONE, e dei CONCILJ.

All' oggetto però di pienamente valutare il merito irrefragabile di somigliante lavoro, basterà rimarcare soltanto di esserne autorizzata la pubblicazione dalla Giunta della pubblica istruzione del Regno precedente approvazione del Regio Revisore *Padre Bernardino Latini* della preclarissima Compagnia di Gesù, uno de' primi luminari, che fregiano di presente quell' inclito Istituto, semenzaio sempre fecondo di Valentuomini in ogni ramo di letteratura.